JOHANNIS BRUNSMANNI
ENERGUMENI COAGIENSES,
sive
ADMIRABILIS
HISTORIA,
De
Horrenda Cacodæmonis tentatione,
Quacum in Selandia Daniæ, ejusque urbe Coagio familia Civis, & vitâ honestissimi & famâ integerrimi, per annorum aliquot spatium est conflictata: primum sermone Danico aliquoties edita & impressa:

Nunc verò in exterorum gratiam Latine interpretata & cum duplici auctario edita.

Editio altera Latina, auctior & correctior Leidensi.

LIPSIÆ,
Apud JOH. MELCHIOR *Lieben* 1695.

CENSURA

Viri Nobilissimi atqve Amplissimi, Doctoris *Jani Birkerodii*, quondam primarii in Academia Haunienſi Theologi.

Hiſtoriam hanc, qvam Vir Clariſſimus, Dn. Magiſter Johannes Brunsmannus, illuſtris Scholæ Herlovianæ Rector, de terribili *Malo Domeſtico*, pari conjugum in urbe Coagio per caco-

dæmonem illato, ex veris narrationibus, Actisqve per instrumenta quoqve Curiæ Coagiensis confirmatis, collegit & composuit; perlegi, nihilque in ea observavi divino contrarium verbo: sed potius ea, qvæ sacris in literis de cacodæmone & ejus malis traduntur operibus, hisce aliisqve exemplis roborari firmariqve. Id qvod incredulis admonitioni esse

potest,

poteſt, ut ejusmodi hiſtoriarum certas & tutas circumſtantias rectè ponderando obſervent, ſemet viſibili quoqve experientia ad illam duc. veritatem, qvam ſacræ nobis commendant hiſtoriæ.

Scripſi Anno 1674.

JANUS BIRCHERODIUS,
S. S. Th. P. P.

Testimonium Magistratus Coagiensis de veritate hujus historiæ & narratione matris familias super eadem.

Christianvs Caspari Schö-lervs & Erasmvs Schö-lervs Consules Urbis Coagii, nec non Jacobvs Pomeranervs Urbis ejusdem Senator, qvosvis, qvorum interest, sequentium facimus certiores. Nempe, cum Vir Clarissimus Mag. Johannes Brunsmannus *Scholæ Herloviana Rector nobis significaverit, in animo sibi esse, publicitus edere typisque describendam dare, historiam qvandam de gravissimo qvodam malo & infortunio domestico, qvod dudum abhinc heic Coagii accidit, in ædibus cujusdam Johannis Barscheri sive Johannis Mercatoris, qvi qvondam civis & incola hujus nostræ e-*

rat urbis, & ante multos annos vitam cum morte commutavit: potissimaqve historiæ ejus negotia comprehendantur in libello, qvi dicitur MALUM DOMESTICUM, & ab uxore ejusdem Johannis Mercatoris est conscriptus: à nobisqve etiam prædictus Mag. Johannes Brunsmannus requisierit, rei veritatem in hoc negotio vellemus pandere, simpliciterqve & tanqvam coram Deo testari, qvid nobis de hac re constet; nimirum, an vera sint, qvæ prædicto in scripto mulieris narrantur, sic ut impostruram ullam fraudesqve in hoc negotio non opus sit metuere. Ideo palàm & ingenue testamur, nobis nihil aliud de hoc constare, qvàm vera esse, qvæ in illo scripto narrantur. A Majoribus quoqve nostris sic esse accepimus: tum & in nostræ Curiæ Actis librisqve reperimus, multa super eodem negotio in publico ur-

bis hujus noſtræ judicio eſſe teſtimoniis confirmata. Ea quæ prolixiora ſunt, quàm ut allegare illa hic poſſimus: ideoque ipſa Acta & libros Dn. Mag. Brunsmanno tradidimus, ut ipſe ex iis excerperet colligeretque eò ſpectantia. Quæ cum ita ſint, quantum nobis de hoc negotio innotuit, omnino & irrefragabiliter certum eſt verumque. Actum Congii die 14. Januarii, Anno 1674.

Chriſtianus Caſpari Schölerus.
Eraſmus Schölerus.
Jacobus Pomejerus.

PRI-

PRIMA PARS HUJUS HISTORIÆ,

In qua

MALUM DOMESTICUM,

Sive:

Narratio Matris familias de vexatione hac cacodæmonis ſuâ in domo.

MAlum hoc primò animadvertimus nocte quadam, poſtquam ego maritusqve meus beatus *JOHANNES BARSCHERVS* lecto nos tradideramus. Ibi tum noſtris ſub capitibus ſonitus exauditus eſt tanqvam gallinæ glo-

citando ſuos convocantis pullos. Qvo ſonitu admodum pavefacti neſcientesq; qvid eſſet, lecto conſurreximus; & ſecuta die amicis, coram qvibus de hoc inuſitato prodigio conqverebamur, aliis colubrum, aliis aliud naturale qvid eſſe dicentibus, lectum & in eo quoqve ſtramenta, qvæ veſtibus ſtragulis ſuberant, accurate excuſſimus, nulla tamen re, qvæ hujus ſtrepitus ſonitusqve cauſa foret, animadverſa. Paulo poſt veſpera qvadam, audita jam hora nona, mihi ex triclinio in cavædium exituræ prodigioſus bufo cruribus admodum gracilibus & ita longis ac ſi eſſet gallina viſu-

ſuqve admodum terribilis, tanqvam ex portæ loco veniens, occurrit. Itaqve perterrita celeriter in domum rediens evocavi familiares, ut mecum exeuntes, mirum hoc luſtrarent viſum. Sed venientibus nobis evanuerat, ut nihil ejus amplius conſpiceretur.

Nocte inſeqventi infantium meorum natu minimus ſubitò cœpit terribilem edere clamorem. Itaqve ancillam juſſi candelam accendere, ut videremus qvid puero eſſet. Illa diu extra triclinium commorata ut candelam accenderet, tandem eam attulit qvidem accenſam, ſed ad-

modum externata, lurida & terribilis; rogantibusq; nobis qvomodo cum ea ageretur, respondit, malo (*Malum in hac narratione Matris familias interdum usurpatur pro cacodæmone aut ejus sensibili tentatione vexationeqve*) se infestari. Et ex illo tempore diu graviter ægrotavit, usqve adeò ut necesse fuerit nobis, aliam ei adjungere ancillam, quæ ejus necessitatibus per semestre inserviret, eamqve huc illuc deportaret, donec tandem divino beneficio rursus convalesceret.

His ita gestis, accidit ut parvula nostra filia, octo circiter annos nata, dum in pavimento ibat lusitans,

ſitans, ſubitò pavefacta, me & patrem ipſius lacrymabunda acceſſerit, dicens: ſe propter virum qvendam magnum, qvi veſpere in triclinio eam accedit, non audere ibi manere. Qvamprimum enim (addebat) tenebræ ingruunt, accedere me ſolet vir procerus in veſtibus holoſericis nec non toga holoſerica, prægrandes barbæ habens myſtaces, nec non duos & ingentes & admodum fœdos trucesqve oculos, qvem perqvam timeo. Nos autem illam ejus qverelam contemſimus. Qvod & fecimus cum lectum deinceps petitura, vehementerqve plorans dicebat

se non audere in cubiculo cubare, siqvidem patre, inqvit, meo à me discedente magnus ille vir veniens me aufert secum. Qvippe qvod aspernantes increpuimus eam, ut nimis mollem delicatamqve: sed postea errorem nostrum serò animadvertimus, cum Patre ejus manè ab ea recedente miserabilem edere incipiebat clamorem ploratumqve. Accurrentes enim observavimus planè feralem externatamqve, ut eam vix nossemus. Deo notum, qvantus dolor nos tunc oppresserit, tam miserabilem filiolæ nostræ animadvertentes statum, & cujus culpam in nos-

met

met ipſos conferre debebamus, qvi verbis ejus fidem habere noluimus. Quicqvid edendum aut bibendum ei triduo ingeſſimus, eorum nihil admiſit, omniaqve ſicut ingeſta ei erant, per labiorum ſinus commiſſurasqve rurſus exibant. Nihilominus mox poſtea convaluit: Deus enim omnipotens, tota noſtra domo ejus implorante opem miſericordiamqve, ut benignus Pater ſuos non deſtituens liberos, nosmet iterum reſpexit: adeò ut brevi filiola noſtra ſanitati reſtitueretur prorſus, ſic ut nihil in ea amplius animadverteretur mali.

Pau-

Paulò poſtquam hæc facta erant, maritus meus, beatus JOHANNES BARSCHERVS in Germaniam eſt profectus: cum præterlapſis duabus ab ejus abitu hebdomadibus, magnus terror noſtram infeſtavit domum, adeò ut quocunqve veniebamus, loci ferales & terribiles eſſent. Tum & adoleſcens qvidam nomine JACOBVS, mariti mei ſobrinus, circiter ſexdecim annos natus maligni ſpiritus tentationibus cœpit vexari. Qvippe veſpere lectum petiturus flere & lamentari incepit, dicens: ſe non audere in cœnaculo ſive hyperoo cubare, propter malum & ſpe-

ſpectra qvæ illic eſſent. Itaqve in cubiculo noſtro lectum ei fecimus. Sed paulò poſtqvam lecto ſe tradiderat, miſerabiliter ejulare & qviritari denuò cœpit: & cum accurebamus, totus tremebat lectus: ipſiusqve pueri palpebræ ita erant violenter ab invicem diductæ & ſeparatæ, ut claudi & conjungi à nemine poſſent; tum & os ejus ita erat conſtrictum, ut aperiri neutiqvam qviret. Cum verò tandem ad ſe rediret & loqvi inciperet, quæſivimus ex eo, qvomodo cum ipſo ageretur. Ille verò reſpondit, Deus hoc novit, mihi autem ignotum eſt. Tandem tamen

ſopor

ſopor eum oppreſſit, ſic ut reliqvum noctis reqvieverit, & uſqve in horam diei ſeqventis decimam. Sed cum ſurgebat, ita feralis & externatus apparebat, ut cunctis eſſet terrori.

Veſpere ejusdem diei, cum nobis cœnantibus menſæ aſtaret, & nobiscum cibum capturus eſſet, dixi illi: cibo capto, Jacobe, lecto te conde & divinæ te commenda tutelæ: ſed ſi ita te gerere velis, ut hac feciſti nocte, nos omnes ita terrefacis, ut domum deſerere cogamur. His à me dictis januæ triclinii & culinæ ſua ſponte ſunt apertæ, & qvidem tam prorſus, ut parieti-

bus

bus illiderentur; & mox adolescens Jacobus ex triclinio in cavædium est abreptus: ubi duos cubitos à terra in aërem elevatus pendebat sublimis, non apparente, qvid eum sive fulciret sive in aêre ita detineret: brachiaqve ejus sursum erant porrecta, oculi aperti & os constrictum: mentum quoqve sursum & deorsum saliebat, ac si ab eo auferendum esset. Nos qvantis poteramus viribus, brachia ejus & pedes prehensa deorsum trahere nitebamur, ut humi rursus eum collocaremus: sed tam immota pendebant, ut ne moliri qvidem ipsa locove movere qviremus.

Ideo

Ideo omnes ingeniculi in cavædio æternum Numen invocabamus, ut ſuæ miſericordiæ & gratiæ memor eſſe vellet. Eôqve factô adoleſcens ſolutus humi rurſus conſtitit. Sed adhuc os ejus erat conſtrictum, ut loqui neutiquam poſſet: donec cochleare argenteum manubrii plani ipſius ori inſerentes illud vi aperuimus. Tunc ēnim ingemiſcenti ſoluta eſt lingva & eloquendi rediit facultas: cumque rogaremus eum, ut ſe haberet, reſpondens dixit, Dei opē ſpero nunc melius mihi forē: vobis enim flexo genu divinam implorantibus opem, receſſit, &

de

de puteo ad lignorum ſtruem tranſiit. Me autem quærente, quisnam receſſerit, reſpondit, Satanam receſſiſſe: id quod magnam nobis incuſſit triſtitiam, audientibus tam dirum & inviſum ad nos veniſſe hoſpitem. Rurſus ego quæſivi, an adoleſcens ergo Satanæ ſe devoviſſet. Ille verò vehementer lacrymans reſpondit: magnam injuriam mihi in eo mater facis, quod tanti me ſceleris ſuſpectum ducas: non ita à meis parentibus educatum, ut tantum in me admitterem flagitium.

Adoleſcente hoc dicente in cavædio magnus ſtrepitus eſt audi-

auditus, & vox ingens eſt percepta, quam tamen nemo intellexit. Adoleſcens autem dixit: Satanæ eſſe vocem loquentis ſecum. Eodemq; momento magnus ignis in cavædio apparebat, & qui huc illuc quaſi contorquebatur. Adoleſcens vero dixit, cacodæmonem hunc ignem ex ſuo contorſiſſe gutture faucibusque. Hoc peracto puerum ſive adoleſcentem in triclinium induximus, ibique verbum Dei & preces coram ipſo recitavimus usque ad horam ſecundam poſt medium noctis. Tunc enim ſopore concepto uſque ad undecimam diei horam acquievit.

Sed

Sed mox iterum a Satana est tentatus, terroresque in domo nostra indies accreverunt majoresque facti sunt. Hic cogitet quisque, quantis in angustiis misera fuerim: cum meis liberis parvulisque in continuo versabar metu & terrore: maritus meus abierat in Germaniam, & nulli calamitatem meam ausa sum aperire, antequam ipse domum reverteretur. Alias Satanas Adolescenti dixerat, se quatuordecim annis ejus esse insidiatum hero, propter virum verò illum magnum, (sic Deum vocabat,) non potuisse ei nocere, siquidem die nocteque, (addidit,)

dit,) ipsius invocat opem: nunc autem concessum mihi est loco heri temet affligere. Idque narrans adolescens lacrymabat, suamque lamentabatur sortem, quod pedem unquam in Daniam intulisset, exoptabatque Daniam nunquam vidisse. (*Gente enim Germanus erat.*)

Postea Satanas Adolescentem magis magisque infestabat. Interdum crucifigebat eum, caput ejus in alteram partem inclinans, & pedes complicans, eam ad faciem, qua Christus depingitur in cruce fixus; & nemo eum inclinare aut loco movere poterat, vel ejus statum formam-

mamque mutare: album quoque oculorum foras convertebat, ac si mortuus esset.

Tandem domum rediit beatus maritus meus, redeuntique triste hoc affertur nuncium: cui remedium quæsiturus, publicis preces tum in nostra urbe, tum in omnibus viciniæ templis pro nobis fieri curavit. In nostramet domo tribus ex ordine diebus Dominicis communem pœnitentiam celebravimus, jejuniumque, in quo nulli nec homini nee pecudi quicquam sive edere sive bibere est concessum. Primo dierum illorum Dominicorum nobis pœ-

nitentiam communem, ita ut dixi, celebrantibus, adoleſcenteque in ſella quadam ſedente, advenit Satan feneſtramque triclinii noſtri quaſi roſtro impetiit; & mox adoleſcens exclamans miſerumque in modum lamentans dixit: Satanam velle eum per feneſtram abripere: viſusque à quibusdam eſt cacodæmon tanquam corvus, ab aliis tanquam anſer, magnaque ædibus noſtris obduxit nubila. Porro longo tempore tentatus adoleſcens, ſic ut ne menſe quidem toto unquam tranquille dormiiſſet, tandem quietem capere atque dormire

cœ-

cœpit. Cumque evigilaret rursus, tam serenus illi vultus erat, ac si nihil ei esset mali, & ea tota nocte nihil ferale in ædibus nostris est animadversum, postridieque mane adolescens dixit: gratias ago Deo, qui mihi hac nocte per angelos suos indicavit, melius mihi fore, sit nomen ejus benedictum: libenter interim patiar quidqvid mihi Deus immiserit, scio enim eventum fore bonum, & incolumitatem mihi redditum iri, neque Satanæ licere, ullum meum lædere membrum. Itaque respondimus: melius ergo tibi beneficio Dei nunc erit, idque

certò credes Sed ille regeſſit: non ita eſt, ut creditis. Quiete nunc tantum fruor uſque ad undecimam veſperæ horam; ea hora redit malignus, me aliquamdiu adhuc afflicturus. Neque eô res eſt peracta, adhuc plura reſtant futura. Deus nobis opem ferat adhuc graviora paſſuris! Deus ſervet & liberet miſellam noſtram matrem familias cum ipſius parvulis.

Veſpere, ut dixi puer, rediit malignus ille hoſpes, & magnum nobis intulit terrorem, permanſitque apud ipſum usque ad Paſcha. Neque ullus in ædibus noſtris locus à ſpectris & mali-

gno-

gnórum ſpirituum infeſtationi-
bus erat tutus. Coram qui-
busdam noſtratium cacodæ-
mon apparebat tanqvam ſacer-
dos & quaſi eſſet Dominus Jo-
hannes Kiuſe in rure Karſlund;
aut Dominus Matthias in rure
Herfögle: coram aliis appare-
bat tanquam mercator; coram
aliis tanquam canis; coram ali-
is tanqvam ſus. Quorundam
faciem & manus ita inflabat, ut
tumeſcerent, ut cognoſci neu-
tiquam poſſent. Pueri noſtri
parvuli, apparente illis mali-
gno, clamabant, & plorabant
ejulabantque. Infans qvidam
noſter maſculus qui jam bimu-

lus erat, pilos capiti ſuo abripuit interulamque corpori, fruſtra nobis id prohibentibus: tum & digitum (quod miſerabile nobis erat ſpectaculum) eò intendens ubi cacodæmon erat, dicebat: ecce illic! ecce illic! Adoleſcens quoque ille qui præcipue tentabatur, præſentiebat utplurimum maligni ſpiritus adventum; eoque jam adventante admonebat, ut pueros amoveremus: nunc, nunc enim, dicere ſolebat, adeſt. Quondam in domum noſtram venit ancilla vicini noſtri Jacobi Mejeri, apportans ſecum ejusdem Mejeri puerulum infantem: Adoleſcens au-

autem qui tentabatur ſtatim admonebat eam, ut cum puerulo domum iret, alioqui malè ipſi eventurum eſſe: ea verò detrectabat illud facere, & mox manus faciemque ejus cacodæmon ita inſufflavit, ut triſti ſane ſpectaculo grandeſcerent nimis, & vix amplius cognoſci poſſet.

Aliqvando mulierem pauperculam hoſpitio receperamus. Hæc veſpere poſtqvàm lectum petieramus, clamare & ejulare incipiens triſti & miſerabili voce dixit: quis me miſeram huc induxit? ecce mirus quidam coram me adeſt Simeoni Fryndt

(*Simeon Fryndt erat Civis quidam Coagiensis, cujus etiam sæpe sit mentio in Actis curiæ Coagiensis*) non dissimilis, & magno mihi est terrori. Itaque clamans quiritansque pilos capiti suo abripuit. Eodem tempore erat nobis canicula alba, quæ in triclinio cubabat. Ea canicula, sicut cubabat, capite sursum est extracta & pavimento hic illic illisa, neque tamen quisquam eam tenens apparuit. Tandem cum scamnum subiret semet occultura, capite illinc est extracta, posteriore ejus parte pavimentum verrente. Postridie autem mane rabida est facta,

facta, omnesqve qui ad nos venirent, mordere nitebatur, ut propterea eam necare fuerimus coacti. Die qvodam Saturni cum in domo noſtra ſedentes noſtram ſortem lamentaremur, neſcientes qvomodo in hoc malo noſtro domeſtico gereremus noſmet, acceſſit nos inviſurus Thomas qvidam carpentarius. Is autem ita à cacodæmone tum eſt tentatus, ut mox diſcedens dixerit: ſi antea non ſcivi cacodæmones exiſtere, certè nunc id ſcio.

Tandem cum tempus eſſet, ut adoleſcens cacodæmonis illuſione & tentatione liberaretur,

in lecto qvo cubabat ſemet e-
rigens, cum Satana, verbô Dei
pugnare cœpit, dixitqve: face-
ſe nunc, peſſime hoſtis Satana,
qvi tam diu meum cruciaſti
corpus, rurſus propterea in ſup-
plicio illo, quod nunquam fini-
tur, puniendus. In malam
rem abito, qvi ut fur in corpus
irrepſiſti meum, illud ut crucia-
ares affligeresqve. Hôc dictô
multas pulchras ſententias ex
Scriptura ſacra & Pſalmis pro-
nunciavit, tum & genibus flexis
recitavit Decalogum, Symbo-
lum Apoſtolicum, Orationem
Dominicam, Baptiſmi & cœnæ
Dominicæ verba; neqve, ali-
quisne

quisne audiret an non, curavit: ut propterea notos & vicinos id audituros accerseremus. Cumque in totum jam abiturus esset malignus hostis, complicatis & in altum elatis manibus adolescens dixit: Deo laus sit, qvi à Satana me liberavit. Et mox in alterum latus conversus, manum suam basiatam alii, qvem non vidimus, dedit, dixitqve: salve, vere Dei Angele, qvi Deo stas à dextris: ne me unqvam desere sive per mare sive per terras euntem proficiscentemque; aliaque plura ejusmodi dixit; indeqve rursus suam osculans manum alteri qvem non vidimus,

dedit illam. Eoqve facto veſtſtragulæ ſe ita immerſit, ut nihil ex eo videremus, præter verticem capitis: cum protinus audivimus qvaſi tenellum puerum acutiſſima voce canentem hæc verba: (*Non Latinè hæc audita ſunt cantari, ſed Danicè*) Gloria in excelſis Deo, pax in terris & in hominibus bene placitum. His peractis lecto ſurrexit incolumis. Antea ſine noſtra ope facere nihil poterat; & ita curvus & contractus erat, ut cernuus facie humum reſpiceret, neqve ad rectam ſtaturam redigi poſſet: ſed poſt hoc tempus planè ſibi reſtitutus eſt, ut nihil

amplius mali ſentiret aut incommodi. Ideoqve gaudio perfuſi credentesqve uunc nos hisce eſſe eluctatos plane malis, Deo in templis & ædibus ſacris gratias propterea agi curavimus.

Nihilo tamen minus Deus omnipotens, cujus conſilia & viæ impervēſtigabiles ſunt, adhuc majorem calamitatem nobis inferri ſivit. Nam poſtquam adoleſcens convaluerat, dilectiſſimus meus maritus nocte dieqve eſt tentatus, idq; magis qvam qvisqvam vel credere vel cogitare facilè poſſit, præterqvam ego, qvæ ei proxima eram: & hoc qvotidie fiebat ab hora un-

decima ante meridiem usqve ad ſecundam poſt meridiem: ſicut & ab hora noctis undecima in ſecundam uſqve. Primò autem hocce malum denuò ſentire cœpimus die qvodam Dominico, interea dum in templo concio antemeridiana celebrabatur, & ego propter ægrotantem qvendam puerorum meorum domi manere cogebar. Nam ut cum meis in triclinio eram, tantus nos terror invaſit, & tam feralia cuncta apparebant, ut omnes tanqvam mortui, alii in ſcamna & ſedilia, alii in pavimentum corrueremus. Deus tamen nos reſpexit ita, ut tan-

tandem nobis reſtitueremur. Nam cùm flexis genibus preces ad Deum funderemus, melius nobis eſſe cœpit, & malum qvod nos infeſtabat, diſparuit. Poſtridie ejus diei ancilla noſtra certi negotii cauſâ in cænaculum aſcenderat; illincqve rediens prorſus pavefacta dicebat, mirum in cœnaculo eſſe monſtrum, quodqve ſimiæ erat conſimile.

Proxima inde die filia noſtra natu minima Eliſabetha aſcendit in cœnaculum, ut pennas illic caperet ſibi, qvas in ſcholam ſecum deferret: & mox ut illuc venerat, ingentem ſuſtulit clamo-

morem. Qvod cum audivimus, confestim accurrebamus, eamqve lamentantem & plorantem reperimus: ea autem causam ploratus & lamentationis editura, flens dixit: malignus ille fœdusqve jam denuô rediit, meqve thorace apprehendens dixit; se memet habitrum: admodum turpis & dirus erat, duoqve ejus oculi erant tanqvam majores duo mensarum orbiculi, pedesq; illi erant similes gallinarum pedibus, ungulati. Hoc cum patri ejus narrabam, magna tristitia est affectus, antea quoqve, trium hebdomodum spatio, tristis visus, nulli tamen indi-

indicare voluerat quid mali ei eſſet; & jam indies tum malum ejus ingraveſcebat, tum omnia magis & magis feralia, ſupra qvam unqvam antea, in ædibus noſtris apparere cœperunt.

Cumqve aliqvando per Deum obſecrabam illum, ut diceret tamen, qvomodo cum ipſo ageretur, & qvid mali ipſi eſſet, linqvi incipiens animo collapſus eſt in ſedile. Tandem tamen reſpirans & ad ſe rediens dixit: Deus qvi gratioſus & miſericors eſt pater, ſemperqve adeſt ſuis ipſum ſeriò invocantibus, memor ſit ſuæ gratiæ & miſericordiæ, nobisqve & parvulis noſtris

ſtris liberis opem ferat. Tam graviter à maligno & infenſiſſimo hoſte noſtro Satana, qui me nocte dieqve infeſtat, tentor; ut totius & cœli & terræ pondus mihimet incumbere videatur. Non diu me marito uteris: liberiqve tui brevi orphani erunt. Deus autem qvi viduarum nec non orphanorum & pupillorum patronus eſt & præſidium, veſtri miſereatur.

Inde magis magisqve vexatus dixit, cacodæmonem quotidie ab hora undecima uſqve ad ſecundam, velut grandem ſaccum frumenti ſuo incumbere dorſo. Apparebant quoqve interter-

terdum in ejus alterò latere tubera qvædam ovi gallinacei æqvantia magnitudinem. Tum & mihi tandem dixit: cum te putas tecum habere Deum & maritum tuum, Satanam loco mariti penes te ſæpe habes; Deus me totamqve noſtram domum ab hoc tandem liberet malo.

His ejus dictis malisque perqvam commota, curavi ut preces publicæ tam in noſtræ urbis templo qvam in viciniæ templis rure, pro nobis haberentur. Ipſa quoqve curru vecta abii ad Dominum Jacobum Presbyterum in parochia Norderup, rogans

gans ut tum ipſe pro nobis publicè faceret preces: tum alios presbyteros ſcriptis ad eos literis ſolicitaret, ut idem facerent. Cum autem ex eo itinere domum reditura, in ſylvam venirem: tam gravis factus eſt currus, ut equi vix eum commovere poſſent, etiamſi nihil oneris eſſet in curru præter me ipſam & aurigam. Cum à Domini Jacobi presbyteri rure diſcedebamus, hora erat poſt meridiem ſecunda: ſed cum in plateam Coagii occidentalem veniremus, auditus eſt ſonitus horæ primæ nocturnæ. Et mox arbores hortorum inceperunt crepitare, tantus-

usqve nos inceſſit terror, ut vix inde vivi & ſalvi evade-re ſperaremus: maximè cum ſe contra nos erigeret ſubitò tes qvædam excelſa, ad inſtar turris, quæqve à loco ad lo-cum translata terribilem ſo-nabat vocem; de qua tamen nihil intelligere poteramus. Sed cum DEI opem inclamare-mus, nec non canticum illud vulgare ex Pſalmo 46. ſum-tum; *Præſidium noſtrum eſt Deus*, cantaremus, abceſſit hoc ma-lum, ſic ut, DEO laus, ſalvi illinc evaderemus.

Poſtqvam autem domum ve-neram, & petito lecto brachium dextrum

dextrum ſupra caput extenden
tandem obdormiveram, ecce
novum genus tentationis. Ade-
rat enim qvid majuſculo muri
(glis vocatur vulgô) ſimile, qvod
unum digitorum meorum cor-
ripuit ore, me fruſtra & clamante
& digitum omni conatu per
ſemiqvadrantis horarii ſpatium
retrahere ad memet conante.
Tandem tamen ad me rediit
digitus, marito jubente me bo-
no eſſe animo, dicenteqve, ho-
ſtem malignum non poſſe mihi
quicqvam inferre mali. Nihilo
ſecius videbatur mihi digitus lu-
xatus, & quamqvam nec livens
nec rubens, nec tumens erat:
nemo-

nemoqve ullum ejus notare poterat vitium: integro tamen menſis ſpatio commovere eum non poteram. Secuta deinceps nocte, cubantibus nobis in lecto, ingens & tanqvam à fulmine accenſus ſupervenit æſtus ardorqve; qvi nos ita torſit, ac ſi cum lecto ipſo conflagraturi eſſemus, nullamqve tota nocte capere poſſemus reqviem. Ubi autem poſtridie mane lecto ſurgebamus, in torali ſive linteo inferiore à loco cervicalium ad locum pedum paſſim ſeries mucerdarum animadvertimus, perparia cohærentium, binis in qvolibet gradu cujusvis ſeriei copula-

pulatis, cunctisqve ita sibi conjunctis, ac si filo essent connexæ; erantqve etiam tam copiosæ, ut inferius toral sive linteum præ illis conspici vix posset. Id qvod etiam vicini nostri maxima cum admiratione viderunt.

Die secuta, marito meo gravissimè infestato, invisens nos vicina nostra Ingeburga Mejeri, ut triclinium intravit, grandem audivit cachinnum, nullum tamen videns cachinnantem. Cum autem diutius apud nos commorari haud ausa, abiisset, ita maritus meus est rursus afflictus, ut in sedili sedens animo linqveretur, collabereturque.

Cum

Cum verò aliquantulum sibi restitutum in lecto reposuissem, ut eò melius, nullo turbante, quietem caperet; evocatis ad me familiaribus, triclinio exeuntes in vestibulo domus nostræ consedimus; & cum ibi horæ ferè spatio resedissemus, jussi alteram ancillarum placidè domum ingrediendo observare, an dormiret. Illa rediens dixit eum dormire: quippe nullam ejus audiverat vocem sonitumque. Quare adhuc aliquandiu sedimus in vestibulo, nempe ad nonam usque erat, enim tempus æstivum. Sed cum in triclinium tandem redibamus, vole-

bamque me in lecto apud eum reponere, ecce (mirum & triſte dictu!) in lecto non erat. Deus tunc novit quid mihi eſſet animi. Ubique quærebamus eum & nuſquam reperiebatur: donec longo pòſt intervallo eum in anguſto qvodam invenimus conclavi, valde quiritantem lamentatemque; in quo etiam conclavi neceſſe habuimus eum hac nocte relinquere in miſeria inquieteque: qualem quoqve miſeriam & inquietem nocte illinc proxima ſuſtulit in cœnaculo; nec non tertia illinc nocte in triclinio, & qvarta nocte in cubiculo. In

qua

qua etiam nocte quartâ, nova hæc tentationis forma est animadversa.

Cubantibus nobis unà in lecto, terribilis mus ex eodem genere qvod ante nominavi, (nempe cacodæmon ejus gestans formam) insiliens in lectum ligna quatuor lecti arrectaria percurrit; indeque sub mariti caput & cervical se immersit; ubi sursum pulsis elevatisqve quatuor cervicalibus nec non culcitâ, tandem abiit, abreptô secum inferioris culcitæ frustô, qvod orificium dolii magnitudine æquabat: adeò ut plumæ propterea non modò le-

ctum, ſed & totum circumvolitarent cubiculum; eum quem terrorem obliviſci nunqvam poſſum. Maritus autem dicebat: Apage te nunc, damnate ſpiritus, eum ad locum, unde veniſti, nempe ad æternam mortem ſuppliciumque tibi & tuis paratum. Deo gloria ſit & laus, qui me liberavit. Habes jam quicquid in hoc negotio lucratus es, nihil reſtat ultra. Atque ſic maritus meus in totum à cacodæmonis violentia eſt liberatus, nec deinceps ab eo amplius tentatus.

Poſtquam jam pro domus noſtræ liberatione ab his tentatio-

tionibus in Templis gratias agi Deo publicè curaveramus, nuncque omni malo hocce nos defunctos existimabamus: omnipotens Deus adhuc plus doloris calamitatisqve in nos immisit. Erat nobis filius jam novum agens annum: huic affectus quidam morbosus, ceu videbatur, accidit tam mirus, ut quid mali ipsi esset, excogitare non possemus. Dixit enim vivum qvasi qvid in ventre suo currere, seqve ibi pungere & affligere. Nos illud schirrum esse credentes, balnea & alia remedia contra illud usurpavimus: sed quò plura remedia usurpavi-

mus, eò pejus pejusqve cœpit habere. Et cum chirurgum quoque adhibuissemus, indicaturum quid esset mali; is nullum remedium se scire dicens; jussit tantum, ut medicam qvandam, quæ tunc temporis in urbem venerat, accerseremus ejusque consilium audiremus. Ea autem accersita, dixit puerum à cacodæmone esse obsessum, nec aliud suppetere medium qvam sanctas & serias ad Deum preces. Deus autem novit, quantum perculsi sumus, accipientes tam dirum rursus ad nos rediisse hospitem.

Sed ut ad insolentiores (*Hæc*

decem

decem verba: Sed ut ad insolentiores, *usque ad illud*, puero qvondam, *interpres nexus causâ addidit.*) in hac nova afflictione vexationes pervenimus: puero qvondam cubante in lecto vimineo, lectus ipse cum puero duos circiter cubitos, à terra in aërem & sublime elevatus huc illuc subsultavit. Cumque ad maritum accurrens ei hoc indicaveram, amboqve ad puerum veniebamus, reperimus eum de lecto detractum consistere in capite, pedesqve sursum elevatos habere, brachiaqve in aërem porrecta; ægreqve eum in lecto reponere

valuimus. Postqve illud tempus summo cum animi dolore, qvæ mala pateretur, videre habuimus necesse. Malignus spiritus ad instar porcelli sursum deorsumqve in eo decurrebat; ventrem quoqve ejus ita elevabat, ut visu terribile esset: lingvam ex ore & faucibus ejus prominere faciebat, eandemque rursus ut pannum convolvebat, sangvine per labia manante. Membra ejus ita inter se constringebat, ut separandis illis ab invicem qvatuor validi non sufficerent homines. Grunniebat in eo ut sus; cucuriebat ut gallus, latrabat ut canis. Modò et-

etiam puerum in triclinii noſtri laqvearibus, modò in cavædii ſtrue lignorum collocabat, collocatumqve illic deſerebat, ut miſellus puer nuſqvam progredi valens, ibiqve ſedere coactus ploraret. Tum & eum ſuper maceriem ædium noſtrarum conjecit in vicini noſtri Jacobi Mejeri cavædium. Item oculos ejus nec non genas ita intra caput reduxit, ut non apparerent. Tam rigidum quoqve eum fecit ut truncum, ita ut, ignorans quid eſſet, facilè credidiſſet, merum eſſe lignum. Quare ita rigidum ad parietem erigebamus; ubi planè ut ſtatua ſine omni

motu consistebat: sic ut qui durus aliàs ad lacrymas esset, meritò hoc tamen lacrimaret spectaculo.

Me, quodam die Dominico, existente in sacrâ concione vespertina, matrem meam, quæ in meis erat ædibus ita tentaverat, ut id miserabile sit dictu. Meam enim repræsentans imaginem, os ejus ad alterum latus detorserat: crura ipsius fecerat huc illuc subsultantia, ut nemo vel maximâ vi adhibitâ ea humi detinere posset; tum & calceis ipsiusmet eam pulsaverat. Me itaque ex concione vespertina redeunte, domus plena erat ali-

alienis: coram qvibus miſella mater mea lamentabatur miſerabiliter, memet accuſans dicensque, me calceos ipſius pedibus detraxiſſe, per illoſqve eam pulſaſſe peſſimeqve tractaſſe: & quantumcunqve id negabam, placidiſqve verbis placare eam nitebar, idem tamen dicere perſeverabat: quanqvam etiam poſtridie matronas adhibui, qvæ longe aliud ei perſvaderent; tamen fidem eis ab initio neutiqvam habebat: brevi tamen poſtea ſibi reſtituta eſt. Cum autem malignus ſpiritus ad puerum rediret, ex ejusqve ore denuo loqvi incipe-

ret, marito meo dixit: magni doloris causa exstiti tuæ uxori, cum ejus induens formam, affligebam matrem ipsius, ut non aliud sciret, qvam à suamet filia se ita affligi, graviterqve eam propterea accusavit. Erantqve etiam qviverum esse credebant, qvod dicebatur suam pulsasse matrem. Sed si mihi pervirum illum magnum licuisset, ita eam tractassem, ut tota urbs deflesset ipsam.

Cum vespere canebamus canticum illud sacrum vulgare, ex Psalmo 46. *Deus est præsidium nostrum*, aut ex verbo Dei qvid legebamus recitabamus-

qve,

qve, hinniebat ut equus, & maxima ſacrum illud noſtrum ſtudium proſeqvebatur contumeliâ. Maritiqve etiam mei faciem conſpuebat, adeò ut in ejus barbam ſputum manatet defluereteqve. Pectori quoqve meo nudos oppoſuit cultros; ſed cum juberem, in nomine JESU feriret, collapſi ſunt cultri. Tandem etiam marito meo dixit: conſultius tibi eſt, ut acqvieſcas: noli nimis feſtinare; me hinc non exturbabis, priusqvam meritum exitium acceperint, qvi me huc induxerunt. Ita eſt voluntas viri illius magni. Etiamſi mendax ſim ſpi-

ritus, cogor tamen interdum veritatem dicere: vir enim magnus ille cogit me hoc facere. Optarem ut tempus meum veniſſet, qvo hanc domum deſererem. Maritus autem meus dixit: qvando venit illud tempus? Satanas autem ex ore pueri reſpondit. Id magnus ille vir novit, non ego. Cum is dicit, apage te, faceſſere cogor.

Poſtqvam autem maritus meus tantas afflictiones partim in ſua domo & familiaribus, partim in ſuomet ipſius corpore erat perpeſſus; divina benignitas eum tandem ex omni liberavit miſeria, exqve hoc maligno

mun-

mundo ad ſui æterni Regni gloriam gaudiumqve evocavit. Ego autem miſera meis cum parvulis in tanto dolore ſum relicta, intra meas ædes nocte dieqve coacta pati infenſiſſimum noſtrum hoſtem. Deus ſolus, cui nihil occultum abditumqve, novit magnum meum, qvem perpeſſa, ſum dolorem.

Sed ut ad tentationes (*Hæc undecim verba*, ſed ut ad tentationes, &c. *usqve ad*: neqve ſine admiratione, *ab interprete nexus & illuſtrationis cauſâ, ſunt adjecta*) revertamur, cacodæmon ore pueri loqvi

qvi non ceſſabat: neqve ſine admiratione audiri poterant, qvæ Satanas per os ejus dicebat. Aliquando poſt mortem mariti mei neceſſe mihi erat proficiſci ad parochiam Haarlöf, ut ibi à Paſtore loci, Domino Samuele exigerem debita, qvæ ei crediderat maritus; aurigaqve, qvi currum, qvo vehebar, equosqve dirigebat, erat Ericus cereviſiarius, habitans in platea occidentali. Poſtqvam autem dimidium milliaris ab urbe diſceſſeramus, tanta me in curru ſedentem inqvies infeſtavit, ut coacta ſim curru deſcendere, meqve humi collocare.

Ubi

Ubi autem per dimidium qvadrantis horarii ſpatium, humi ſic ſederam, convaleſcens currum rurſus aſcendere volebam: ſed neqve auriga neqve eqvi neque currus usquam. Aves vidi volantes, aurigam verò cum curru & equis videre non potui: cumque circuiſſem diu in campo, lamentans, quod neque ullam viam ſcirem neque homines reperirem, & jam meridies tranſiiſſet; ad paludem tandem plenam virgultis ſum deducta: quam viſa mihi ſum tranſire me velle, utque id eo dexterius fieret, linteum meum ſemicinctium corpori detra-

tractum in tænias dissecare animus erat, & ex tæniis cingulum facere, quô stolam & interulam elevarem constringeremqve, ita ut aqvis non madefierent. Id in animo habens liberos meos domumque totam Deo tradidi: amplius enim eos videre spes non erat. Sed cum jam in eo essem, ut semicinctium dissecarem, videbar mihi eminus videre duas cornices; quô viso adhuc tristior sum effecta, sed immerito; erant enim revera eqvi mei, qvos tandem cum curru animadverti. Mox audiebam aurigam Ericum nomine memet incla-

mantem: idqve audiens rursus ipsum inclamavi, donec in unum convenimus locum, uterqve ita tristes ut loqvi vix possemus. Dixit se rogasse de me prætereuntes: neminem autem eorum potuisse de me quicqvam dicere. Videns itaqve à Satana nos delusos, paludem accessit, qvam transire volebam, longaqve perticâ metiebatur, quàm profunda esset. Sed fundum contingere non poterat; ita ut appareret esse voraginem qvandam: jureqve dicere possim, nisi Christus DEI filius mihi affuisset, me certissime fuisse perituram.

Tan-

Tandem itaque incolume domum rediimus. Sed priusquam domum redieramus, malignus ſpiritus ex ore pueri dixerat, quamdiu nos comitatus fuerat, & quando me voluerat letho dare, ſi per virum illum magnum licuiſſet ipſi. Gaudebat tamen, quod nos ita perterrefeciſſet.

Aliquo deinceps temporis intervallo, Hauniam verſus proficiſcebar, prædictô Ericô cereviſiariô iterum currum, quo vehebar, regente. Tunc peſſimus Satanas comminatus erat, ſe comitaturum memet usque ad cauponam (ſic vocant

cant (*) diverſorium qvod medio loco eſt inter Hauniam & Coagium. Poſtqvam itaqve paululum extra Coagium perveneramus, nempe ad locum litoris, dictum Ølſemagle, fremere inceperunt eqvi, & currus in gyrum ad inſtar unicæ rotæ meabat, nec non veſtes & alia qvæ erant in curru, excutiebantur illinc: tum & gallinæ, qvas mecum deferebam in amicorum donum, ſolutæ in campo ſe locabant, perqvam pavidæ. Sed cum rurſus collegeramus gallinas veſtesqve, & rur-

(*) *Hæc undecim verba:* Sic vocant &c. *utqve ad:* & Coagium, *ab interprete ſunt adjecta.*

rursus, qvantus circiter lapidis est jactus, processeramus; auriga Ericus animadvertit se perdidisse saccum suum, in qvo nonnihil condiderat avenæ: recurrens itaqve apportavit eum, sed tanta molestia, ut diceret se nunqvam gravius onus portâsse: planeqve persvasus sum, addidit, Diabolum esse in sacco, ita gravis & ponderosus est, etiamsi unicum tantum avenæ modium ei indiderim.

Alligatô itaque ad currum saccô, denuo progressi sumus. Sed cum exiguum spatium emensi eramus, rursus perierat saccus. Rogabam itaque, ut mis-

missum faceret saccum, promittebamqve me ejus pretium ipsi esse persoluturam. Ille autem respondens nolle se amittere saccum, qvem proximo die Saturni qvatuor & viginti emerat assibus: rursus eum alligavit currui, atque semet ipsum ei imposuit. Sed frustra, nam inter crura ejus provolutus decidit in terram.

Hôc factô, alius in via assecutus nos est currus, cujus aurigam rogavi, ut ante nos suum ageret currum equosque, idqúe cursu tam modico, ut comitari eum possemus, promisíque me hanc ejus operam æquo pretio

tio esse remuneraturam. Is accepta conditione fecit aliquandiu quod postulavi. Sed cum tardiores nos videret, quàm ut illum consequi possemus, nobis relictis suam viam est profectus. Ab illo deserti ad rivum pervenimus, ubi luto inhæsimus, & aqua intrabat currum, ita, ut cogeretur auriga primum me, deinde filiam meam trans rivum deportare; & deinde aliorum ope sibi adjuncta currum & equos ex rivo in solidiorem fundum transferre. Atque sic cum molestia pervenimus tandem ad cauponam. Eâ emensâ viâ, quod reliquum

erat,

erat, ſine ullo tranſiimus impe-
dimento. Neqve tamen Hauni-
am venimus ante horam veſpe-
ræ ſeptimam, cum Coagio ma-
nè ejusdem diei diſceſſeramus
(*ut hoc eò magis miretur Læ-
ctor, ſciat Hauniam quatuor
tantum milliaribus Coagio di-
ſtare.*) qvartam inter & qvin-
tam. Sed priusqvam domum
redii, Satanas ex ore pueri dixe-
rat, quousq; nos fuerat comita-
tus,& qvas neqvitias nobis in via
fecerat. Ita miſera ego integrum
biennium poſt mariti mortem
non ſine magno dolore & triſti-
tia coacta ſum maligni ſpiritus
pati vexationes afflictionesqve.

Id qvod miseratus est Pastor meus Magister Nicolaus Glostrupius, aliiqve mei amici: idemqve M. Nicolaus sæpe meam invisens domum, malignum allocutus est spiritum; tum & preces pro domo nostra publicas in templo habuit. Cum qvodam tempore ad nos inviseret, malignus spiritus ei dixit. Si mihi per virum illum magnum liceret, ita te tractarem, ut ferres infortunium. Tam ardentes enim pro hoc puero domoqve ad virum illum magnum fundis preces, eoqve me excrucias. Hodie sedi in sutura pallii tui, sed cum pro hoc puero

ro precabare, cecidi & ictu Satana digno percussus magnum adii opprobrium. M. Nicolaus respondit: Satis tibi, ô condemnate spiritus, est opprobrii. Satanas autem dixit: id ipsemet probè scio. M. Nicolaus interrogans eum dixit: quando tu, condemnate spiritus, excedes hoc hospitio, miserumque hunc puerum deseres, in qvem furtim irrepsisti, quemqve ita noctu & interdiu affligis? Malignus spiritus ex ore pueri respondit, tune me hinc vis expulsum? M. autem Nicolaus dixit: DEUS omnipotens hinc te expellet, & ad eum locum propellet, ubi

igne æternum ardebis. Satanas respondit: cum vir ille magnus dicit, apage te, statim facessere cogor. Mox M. Nicolaus Latinè ipsum est allocutus. Sed Satanas contemtim respondit, sibi non libére, cerebro & intellectui suo, sermone Latinô molestiam creare. Et addidit: si licet mihi hac vespera tuo esse convivæ, ad te veniam. M. Nicolaus dixit: DEUS me à te servabit. Satan dixit: ego illuc penetrare possum, qvò exiguum arenæ granulum penetrare non potest. Domum abi & da puero huic frustum de carne illa assa, qvam uxor tua curat pararí

rari. M. Nicolaus respondit: væ tibi Satana, spiritus mendax, in æternum! Qvid tibi de illo constat asso? regessit Satanas, verum est, me mendacem esse spiritum, sed simul verum est, te carnem curare asslandam. In nuptiis tuis Hauniæ eram, inqve vestibulo sedens cupiebam turbas excitare; sed per virum illum magnum non licuit mihi id facere. Parum tamen aberat, qvin ad pugnam propter choreas esset perventum. Hæc & alia est locutus * * * *

Sed omnipotens DEUS qvi omnia regit gubernatqve, non concessit, ut malignus spiritus

eorum, qvorum permiſſus erat vexare & affligere corpora, ullum læderet membrum. Et cum divina bonitas permittere amplius non vellet, ut ſuam ulterius adverſus nos exerceret malitiam, coactus eſt tandem cedere, totaqve domus ita omnibus ſpectris purgata eſt, ut antea fuerat: pro qvo DEI ſanctum nomen ſit benedictum, non deſerentis ſuos qvi ipſum invocant ſeriò.

Hæc memoriæ cauſâ ſcripſi de iis quæ beatus meus JOHANNES BARSCHERVS juxta acegomet ipſa unà cum parvulis noſtris liberis totaqve domo à

Dia-

Diabolo & organis ejus ſumus perpeſſi. Qvàm verè DEI opem mihi affuturam ſpero, Deusqve propitius eſt DEUS, & ego peccatrix homo, tam vera & certa hæc ſunt, qvæ ſcripſi. Atqve vera hæc eſſe conſtat quoqve viris plurimum Reverendis, Magiſtro *Nicolao Gloſtrupio*, nunc Epiſcopo Opſlœnſi, tunc verò Paſtori noſtræ urbis, Domino *Bartolo Johannis* Paſtori in parochia Duebrödre, Domino *Petro Manno*, Paſtori in parochia Jerſie, Domino *Jacobo* Paſtori in Nordrup, Domino *Caſparo*, Paſtori in urbe Rœſchildia, Domino *Lauren-*

rentio, Paſtori in Liemarch; Domino *Nicolao*, Paſtori in Vallensby, qvorum multi adhuc ſuperſtites ſunt, nonnulli autem obdormiverunt; Dominus *Petrus Mannus* miſeratus pueri ſortem, eum aliqvot hebdomatis, apud ſemet habuit. Poſtqvam vidua ſum facta, Magiſter *Nicolaus* puerum per ſemeſtre ſpatium in ſuis habuit ædibus. Et poſtqvam convaluerat, atq; illæ, qvæ cauſa vel occaſio hujus fuerant mali, Satanamqve in noſtras ædes invexerant, meritas jam pœnas dederant, vixit uſqve ad magnam illam peſtilentiam anni 1620.

in

in qva DEI benignitas ipſum ex hoc maligno mundo omniqve miſeria ad æternum ſuum regnum, cœleſtemqve gloriam atqve gaudium evocavit. Gloria & gratiæ DEO in æternum. Amen.

Quisquis ſtat, DEUM die noctеque precetur, ne cadat. Nemo dicere poteſt quid homini accidere poſſit, antequam conditur ſepulcro.

ALTERA PARS HUJUS HISTORIÆ, *Sive*: Uberior ejus expositio, hausta maximam partem ex Actis Curiæ Coagiensis.

HActenus Matrisfamilias de his rebus narratio, quæq; dicitur *MALVM DOMESTICVM*. Nunc seqvitur uberior expositio historiæ, cujus aliqvantillam partem suppeditavit traditio civium Coagiensium, pleraqve autem omnia ipsius Curiæ Coagiensis inferioris, qvam vocant Tinget/ Acta publica; qvæ acta

acta anno 1674. qvo hæc hiſtoria primum typis eſt deſcripta, in Curia majore Coagienſi adhuc conſervabantur: Et mihi communicata ſunt, ut excerperem inde, qvæ hiſtoriæ huic illuſtrandæ inſervirent. Communicavit autem illa vir Nobiliſſimus & Ampliſſimus Chriſtianus Caſpari Schölerus, ſupremus Coagii Conſul, nec non ſummi Tribunalis in Regno Daniæ & Norvegiæ Aſſeſſor, juxta ac filius ejus, vir Nobiliſſimus & Ampliſſimus, Eraſmus Schölerus, itidem Coagienſis Conſul & Selandiæ judex Provincialis.

Est autem uberior illa historiæ expositio hæcce, qvæ seqvitur.

Vir, ad qvem potissimum spectat hæc historia, sive cujus partim domus, partim ipsemet à maligno est infestatus spiritu, vocabatur Johannes, cognomento Barscherus, qvomodo appellatur quoqve in *Malo Domestico* sive Narratione matris familias. Professio ejus & qvæstus erat mercatura. Ideoqve in Actis Curiæ Coagiensis sæpe quoq; appellatur Johannes Mercator. Mortuus est anno aut 1612, aut 1613. Nam anni 1612. maximâ parte adhuc vivebat, &

ad-

adverſus duas ſagas, qvæ ejus domum incantaſſe dicebantur, accuſationem inſtituebat, easdemqve damnatas ad rogum, igne publicitus comburi curabat.

Anni autem 1613. 5. Julii die, in Coagii Actis *Beatus* Johannes Mercator appellatur tanqvam tunc mortuus. Uxor ejus, qvæ prædictum inſtrumentum, qvod vocatur Malum domeſticum, conſcripſit, vocabatur *Anna*, qvam moriens reliqvit, biennio ante finitam hancce domus ſuæ calamitatem. Ex ejus liberis anno 1674. adhuc in vivis erat, Coagiiqve habita-

bat, *Elisabetha, Johannis Buchii* Vidua, cujus maritus olim Consul fuerat urbis: eodemqve annô, ut ipsa mihi dixit, erat septuagenaria; Mater ejus Anna, ut referebat, Johannem Barscherum septendecim annis habuit maritum. Inde post qvatuor annos viduos nupsit Cunrado Richtero; in cujus conjugio novendecim vixit annis, & tertio post ejus obitum mortua est anno.

Domus, in qva hæc vexatio Satanæ contigit, anno 1674. adhuc salva & integra erat, habitabatqve in ea tunc Senator urbis Jacobus Pomejerus, qvi olim

olim miniſtraverat Conrado Richtero, poſteriori marito Annæ, qvæ prædictum inſtrumentum ſcripſit. Eratqve hæc domus, illa in foro Coagienſi angularis, cujus unum latus in forum, alterum audem in plateam ſeptentrionalem eſt converſum.

Incepit autem hocce in domo illa malum anno ſive 1607. ſive 1608. ſive 1609. Namqve anno 1612. cum jam aliqvot annos duraſſet, Johannes Barſcherus accuſationem, (ut modo diximus) adverſus ſagas inſtituit, qvæ ipſius domum dicebantur incantâſſe. Origo autem & occaſio hujus mali in do-

domo iſta orti hæc traditur. Saga quædam, Johanna Thomæa, ſolita fuerat cum Johanne Barſchero, eam, qualis eſſet ignorante, commercia habere, & ab ipſo emere quæ ipſi erant neceſſaria. Accidit autem, ut alia ſaga, Chriſtina Capſaria, mortis damnata prodiderit Johannam Thomæam tanquam gaudentem ſocietate & conſvetudine ſagarum. Id poſtquam reſciverat Johannes Barſcherus, noluit eam amplius agnoſcere, aut quicquam negotii cum ea habere. Ideo Johanna Thomæa implacabilem adverſus ipſum concepit iram, maximè poſtquam

quam ædes etiam quasdam emerat, quas ipsa voluerat quoque emisse, dolebatque eum præripuisse sibi hanc emtionem. Ab illo itaque tempore meditans ultionem in Barscherum, ope aliarum sagarum, incantavit ædes ipsius, & cacodæmonem evocatum in easdem immisit: idque, juxta propriam ipsarummet coram Curia Coagiensi confessionem, bis factum est: primò in ædibus Johannæ Thomææ, de quo in Actis Curiæ 14. Junii & 5. Julii anno 1613. annotatum est, unam ex illis sagis, Annam Christophori filiam, esse confessam, & in illa confessione mor-

mortuam, *ipſas congregatas fuiſſe in ædibus Johannæ Thomææ, & penes puteum ipſius, evocâſſe Diabolum, eumque adveniſſe in forma muris majoris (vulgô appellamus een Rotte) qui ſubrubei erat coloris & perprevis erat caudæ.* Deinde extra urbem id factum eſt, penes rivum illum, qvi proximus portæ auſtrali exiſtens dicitur rivus Banghorſius: de qvo in Actis anni 1612. die 11. Septembris exſtat; qvandam Chriſtinam Laurentii, qvæ ancillata fuerat Johannæ Thomææ, eademqve die 11. Septembris mortis eſt condemnata, confeſſam eſſe, *ſe ex ore Johannæ Thomææ audiviſſe, tam ipſammet quam ſagam, quæ vocabatur Medea*

Bang-

Banghorsia, & plures alias junxisse operam in evocando cacodæmone ex vivo, & inducendo eum in domum Johannis Mercatoris. Narratur quoqve cacodæmon, cum primó ipsum evocarent, ita se gessisse, ac si comparere nollet, illisqve illusisse dicendo: se comparere non posse, siqvidem cornutus erat, ipsæ autem cornua nulla haberent. Itaqve Medeam Banghorsiam attulisse ollam tripodem, eâqve suo capiti impositâ dixisse: volenti nolenti comparendum ipsi esse, nam si is duo haberet cornua, sibi existere tria.

His ita, uti fertur, factis cacodæ-

codæmon, in forma ejusmodi muris, ut dictum est, comparuit tandem, in eademque forma vespere cujusdam diei Dominicæ in ædes Johannis Barscheri est inductus, & inox in ædibus ejus tota malorum cœpit series. Atque hæc origo & occasio erat negotii.

Eventus autem & finis is erat, ut multas post exactas calamitates afflictionesque, non modò spectris tandem purgaretur domus, sed & sagæ quæ exsegrandi hujus negotii sive conscíæ sive participes fuerant, juris processu formaque adhibita aliæ post alias sint damnatæ puniteqve.

De

De quo ne dubitet quisquam, & ut absolvatur tandem hæc historia, placuit hic ordine temporis servato potiora repræsentare, ex illis quæ in Actis Curiæ Coagiensis adhuc reliquis (nam multa periisse videntur) inde ab anno 1601. usque ad annum 1614. quo anno circiter malum hoc finierat, de sagis Coagiensibus sive mirabiliora sive ordinem historiæ illustrantia reperimus scripta; additis subinde quæ aut aliæ relationes, aut incolæ Coagienses simul de iis memorant rebus; quibus enarratis repræsentatisque, dissertatio hæc finem habebit.

Eô

Eô itaqve ut veniamus: anno 1601. die Maj. 11. & 25. in Actis, Helena quædam accusata memoratur, qvod incantationibus suis viros nonnullos suo spoliasset membro virili; nominatim Laurentium qvendam *Boëtivm*, cum viduus existens eam suis facessere jussisset ædibus: ipsam enim propterea comminatam ei esse malum hocce, qvod ei quoqve obvenit: sic ut pudenda ejus putrescerent, & quicqvid in morbo hocce suo consumeret, per locum pudendorum exiret, & tandem quoqve ilia indidem se foràs provolverent. Porro

de

de eadem ſcriptum eſt, ipſam ejusdem anni 24. die Auguſti, in Curia eſſe confeſſam, quod aliquando unà cum alia muliere in ſylva exiſtens, ut nuces colligerent, ſedaverit procellam, quæ colligentibus impedimento erat, procellâque ſic ſedatâ deinceps placidè collegerint nuces.

De Chriſtina Capſaria, ea nempe, quam ante diximus primum prodidiſſe Johannam Thomæam, ut ſocietate ſagarum delectatam, anno 1602. die 6. Septembris inter alia in iisdem Actis ſcriptum exſtat, eam, Chriſtinam, incantâſſe puellam

lam quandam quæ obsessa dicebatur, duasque maleficas id testantes in eo testimonio esse emortuas. Die ejusdem anni 20. & 27. Septembris, alia quoque testimonia contra ipsam adducuntur, in quibus hæc quoque; ipsam incantâsse virum quendam, cujus crura adeò ardentia sunt facta, ut ardore tanquam carbonum strues fumarent: incantasse etiam puerum antea sanum, ut deinde tanquam suppositius esset: diversis item mala esse comminatam, & ea mala eisdem quoque accidisse. Præterea Bartolum Coriarium & Christianum

num Sigfridi juxta legis & juris formam teſtatos eſſe; cum in domo Bodildæ cujusdam Theodoræ, unà cum Chriſtina hacce Capſaria eſſent penes puellam quandam quæ ferebatur obſeſſa, ipſam puellam, qvæ dicebatur obſeſſa, prædictæ Bodildæ dixiſſe: tu nequaqvam es ſaga: deinde digitum intendendo in Chriſtinam Capſariam dixiſſe; tu es mala mater. Prædictus quoqve Bartolus, ut ibidem habetur, eſt teſtatus, eandem obſeſſam puellam, anteqvam adventaret Chriſtina Capſaria, & cum adhuc exdra ædes exiſtens necdum viſa ipſi

 fue-

fuerat, dixisse: nunc me oportet qviescere, siqvidem Domina mea advendat. Et cum præsentes interrogarent, qvænam ipsius esset Domina, respondisse, Christinam Capsariam esse.

Johannes quoqve Scytte est testatus, cum in carcerem Curiæ superiorem esset conjectus, Christina Capsaria infra se in inferiore cella carceris ejusdem concluſa, nocte inter decimam & undecimam horam, se inferiore in cella carceris, ubi Christina erat, audivisse primò ingentem strepitum sonitumqve, & qvô plurimùm est terrefactus.

ctus. Deinde audiſſe varias ibi voces loquelasqve, alias graves, alias acutas, easdemqve inter ſe bihorio ſic eſſe collocutas: ſe autem nihil eorum, qvæ dicebantur, intellexiſſe. Porrò die 4. Octobris ejusdem anni, publicum hoc Chriſtinæ Capſariæ in Curia datur teſtimonium, qvod ſemper & inter omnes audiverit ſaga, ejusqve ſceleris infamiâ ſemper flagraverit. Die 12. Octobris, ipſa publicè confeſſa eſt, ſe Deum & Creatorem ſuum abjuraſſe, tum & Angelum ſuum (ſic appellabat cacodæmonem) vocari Haſſe, eundemqve ſecum coiiſſe:

ìſſe: ejusque naturam ſive virile membrum ab initio admodum frigidum eſſe, deinceps autem admodum ardere: porro eum apparuiſſe ſibi, modò ut pullum felis, modò ut adoleſcentem, modò denique admodum dirum atqve horrendum. Tum & faſſa eſt, prædictam Johannam Thomæam, cum illi rixa & lis intercederet cum Torchillo qvodam, cive Coagienſi, ſecum egiſſe, ut Torchillum incantaret, & infortunium ei afferet; non tamen id eſſe factum, ſiqvidem brevi poſtea lis inter Johannam & Torchillum eſt compoſita.

De

De alia quadam ſaga, qvæ dicebatur Maria Cimbrica, Anno 1602. die 22. Novembris & 6. Decembris inter cætera teſtimonia, hæc quoqve ſunt lata; puellam quandam nomine Eliſabetham Franciſci filiam, nocte qvadam Mariæ Cimbricæ hoſpitio utentem, ſive in domo ejus manentem, vidiſſe duos ante ejus lectum ſtare pueros calvos, eôqve viſô admodum exterritam poſtridie mane vicinis id dixiſſe: Mariam autem Cimbricam id reſciſcentem, infortunium ei eſſe comminatam. Id eveniſſe ipſi quoqve ut contractis membris

deinceps in feretro ipsam circumgestari fuerit necesse. Die 6. Decembris ipsamet Maria Cimbrica est confessa, qvandam sagam, qvæ dicebatur Maria de Rinsberg, ita os sibi constrinxisse & obturasse, maxime nocte superiore, ut veritatem fateri non posset. Et cum Jacobus Vietor interrogaret eam, anne causa & origo esset dissidii qvod erat inter ipsum & ejus conjugem? respondit: Mariam de Rinsberg ejus esse causam; idqve feciſſe, subornando Diabolum quentam, qvi inter ipsos curreret, lites & dissidia seminans. Eôdem die Olaus cere-

visi-

visiarius est testatus, qvod cum in villa nobili Vallôe cerevisiarius esset, coctura cerevisiæ semper bene successerit, donec Maria Cimbrica & aliæ vetulæ intrantes coquinam sibi cerevisiam ab ipso dari frustra postularint. Ex eo enim tempore cerevisiam non potuisse rectè fieri, tamqve sua sponte in labro fremuisse tumultuatamque fuisse, ac si muribus esset plena. Propter hæc & alia plura, Maria hæc Cimbrica eodem die in iisdem Actis memoratur quoque ad ignem esse condemnata. Et hæc quidem præcessere tempora illa, in quibus vis ma-

li in domô Johannis Barſcheri invaluit; nunc veniamus ad propiora rei.

Prima ſaga qvæ circa tempora mali urgentis domum Johannis Barſcheri prehenſa eſt & damnata, fuit Bodilda Petri in Eghôy; de qva in Actis Curiæ Coagienſis anni 1612. die 24. Auguſti, eam quoqve adjutricem & participem fuiſſe aliarum ſagarum, in cacodæmone ædibus Johannis Mercatoris inferendo. Et in exemplari quodam Mali domeſtici, adſcriptum quoqve reperiebatur; eam Bodildam cum filia ſuâ eſſe combuſtam, & ante mortem prodidiſſe reli-

reliqvam ſagarum cohortem, quæ cauſa fuerant malorum in ædibus Johannis Barſcheri.

Deinde prehenſa eſt prædicta Johanna Thomæa. Prodita quidem & indicata erat a Chriſtina qvadam Capſaria, qvod delectaretur ſocietate ſagarum, ſicut ſupra ad annum 1602. eſt oſtenſum: à Bodilda autem in Eghôy prodita eſt, tanqvam qvæ operam juxerat ad incantandam domum Barſcheri: qvo nomine etiam prodita eſt Lubecæ à Cigará qvadam muliere. De qvo in Actis Curiæ Coagienſis, Anno 1612. die 20. Junii ſcripta ſunt hæc verba qvæ

ſequuntur : *quadriennio antea, Cigaram quandam Traminda penes Lubecam veniſſe adminiſtrum Johannis mercatoris Jacobum, qui illuc ab hero ſuo negotiorum cauſa miſſus erat; eamque Cigaram ei Jacobo narraſſe, quicquid ei acciderat in ædibus Johannis Mercatoris: dixiſſe quoque, Johannam Thomæam invexiſſe Diabolum in ejusdem Johannis mercatoris domum; idque eam feciſſe, propterea quod Johannes Mercator illam anteverterit, in emendis illis ædibus quas ipſa ſibi deſtinaverat.* Hactenus verba Actorum. In exemplari quodam Mali domeſtici hæc verba de cacodæmone ipſo eam prodente, erant quoque aſcripta; Satanam ex ore pueri in ædibus Johannis Mercato-

catoris dixisse, curate; ut Domina mea Johanna Thomæa concremetur.

Anni ejusdem 1612. die 8. Junii, sexdecim judices, ex eo genere, quos recuperatores appellarunt veteres, sunt constituti, qui inquirerent, an Johanna Tomæa rea ejus esset, cujus incusabatur. De quo in Actis Curiæ Coagiensis hæc leguntur verba: *Matthias Jani civis hujus urbis Coagii, factâ sibi potestate à Johanne Mercatore (de qua facta potestate literæ Johannis Mercatoris hodie in Curia sunt lectæ & subscriptæ) postulavit Judices qui inquirerent, an Johanna Thomæa habitans hic Coagii revera rea sit magiæ Diabo-*

lica, & unà cum aliis cacodæmonem evocarit, & in ædes Johannis Mercatoris immiserit, qui corporaliter ejus obsederit pueros, unum post alium; cujus est publicè insimulata, ita ut propterea, si rea verè deprehendatur, meritum pati debeat supplicium. Hactenus verba Actorum; in quibus deinde nominantur illi sexdecim judices, qvi ad id negotium curandum sunt constituti. Iisque nominatis additur, injunctum eis esse, ut juxta leges tandem eam ferrent sententiam quam coram DEO hominibusque vellent defendere.

Inde testimonia contra Johannam hancce sunt producta, quod

qvod factum est die 22. Junii & 6. Julii. Inter ea autem testimonia fuit primò illud de Cigara, muliere, cujus antea mentio facta est. Deinde, quod multis comminata sit infortunium, illudqvè eis quoqve acciderit. Præterea, qvod in ædibus prætoris urbani nuper in genua procubuerit coram Johanne Mercatore, qvi ibi aderat, eumqve rogaverit, ut non jure sed gratia vellet cum ipsa agere. Porro qvod mulier qvædam nomine Anna Simonis vespere qvodam assistens januæ carceris, in qvem conjecta erat Johanna Thomæa, audiërit Johannam in

carcere ſonora voce loquentem lamentantemqve dixiſſe cuidam: (qvi non potuit alius fuiſſe quàm cacodæmon, ſiqvidem hominum nullus aderat) *tu me in perniciem pellexiſti, me meis ſpoliaſti bonis quæſtuque, & in hunc tetrum conjeciſti cavum antrumque: apage te, nihil mihi amplius erit tecum negotii: Magiſter Laurentius ſatis memet proteget.* Hactenus ejus verba. Magiſter autem Laurentius qvem memorat, erat Paſtor Coagii tunc temporis, cui paulo poſt ſucceſſit Magiſter Nicolaus Gloſtrupius. Tum & illud contra ipſam latum eſt teſtimonium, qvod cum haud multò antea, ſtans in limi-

limine domus cujusdam collo-
qveretur cum prædicta Christi-
na Caplaria, eademqve Christi-
na diceret: admodum anxia
sum, ita ut nesciam quò me
vertam; animus mihi est aufu-
gere, nisi enim id fecero, com-
prehendor: responderit ei Jo-
hanna; quicqvid feceris, no-
lito fugere: nam si fugeris, ipsam
te ream reddideris. Si caperis
& factum negare perseveraveris, accusatores tui amplius nihil efficere poterunt.

Porrò ipsa quoqve confessa est, se toto illo tempore qvo in carcere continebatur, nihil edisse. Ideo in Actis ejusdem anni

anni die 18. Junii legitur, ipſam coram conſeſſu judicium dixiſſe, *poſtquam in carcerem eſſet conjecta, ne micam quidem ſive panis ſive alterius cibi comediſſe: etiam ſi quotidie ſtatis & uſitatis temporibus & cibus & potus ısque bonus ei oblatus fuerit.* Tum & die 17. Julii hæc verba leguntur notata. *Johanna Thomæa confeſſa adhuc eſt, ut antea, ſe nunc octo hebdomatibus, quibus in carcere fuerit comprehenſa, nullam micam panis aut alterius cibi ediſſe. Et cum rogaretur, an interea etiam nulla ex corpore ſuo, laxatâ alvo egeſſerit excrementa, nihil ad illud reſpondere voluit, neque id negans neque affirmans. Item maritum ejus Janum Nicolai eſſe confeſſum, quod quandocunque temporis ſpatio in carcere detineatur, ex Johannis*

Mer-

Mercatoris cibo nunquam quicquam sit comestura, etiamsi per integrum semestre ibi foret mansura, si verò mihi liberisque ejus (hoc etiam addidisse legitur) *concessum fuerit, nostrum ei dare cibum, statim est comestura.*

Qvod verò nihil ex illo cibo, qvi ei offerebatur, vellet comedere, illud sicut cives narrant, & exitus declaravit, ideo factum est; quod cacodæmon ei persvaserit, homines ex eo collecturos, ipsam immeritò accusatam esse & in carcerem conjectam. Ideo etiam fertur dixisse, Deum ipsius (sic suum cacodæmonem vocabat) ipsam esse sustentaturum vitamqve

ipsi

ipsi productorum, etiamsi nihil comederet; eoque ostensurum, eam esse innoxiam, & præter causam ita asperè tractari. Nihilo tamen minus in urbe ubique penes ditiores lautiora edulia cum jam coacta atque parata mensæ essent apponenda, perierunt; ut nemo sciret, quonam evasissent. Et particulatim quoqve memoratur in optimatis cujusdam culina gallum Indicum jam assatum evanuisse, proptereaque coqvam à sua hera graviter esse percussam pulsatamque: cum interea in domo Johannis Mercatoris sive Barscheri, cacodæmon

ex

ex ore pueri cachinnabatur dicens: ſe meritò ridere, ancillam vapulaſſe propter ſcitamentum illud quod ſua domina in carcere dentibus comminuit. Fortaſſis hoc in ſcriptis illis comprehenſum fuit teſtimoniis, quæ ejusdem anni die 22. Junii in judicio quidem memorantur lecta & ſubſcripta: ſed nusqvam amplius comparari poterant, erantq; hæcce: primo teſtimonium qvorundam Presbyterorum, nempe Propoſiti M. Claudii in Herſögle; Domini Canuti Coldingii in Roſchildia; Domini Petri in Ringſted. Deinde militis cujusdam Geor-

gii

gii Subberti, qvi hoſpitio uſus erat Johannis Barſcheri. Tertio Stenonis Johannis. Qvarto Falquordi cujusdam; & deniqve Chriſtiani Pauli.

Eo diem 22. Junii Judicis provincialis ſententia contra Johannam Thómæam, unà cum teſtimoniis contra ipſam coram judice provinciali productis in judicio Coagienſi lecta dicuntur & ſubſcripta. Sed qvid in eis haberetur, non memoratur. Bonum id tamen non fuiſſe, inde colligere eſt, qvod addatur, maritum ejus Janum Nicolai, jam qvaterna vice in judicio Coagienſi

gienſi poſtulaſſe populi Coagi-
enſis teſtimonium de ſua uxo-
re; neminem autem fuiſſe au-
ſum, contra judicis provincia-
lis ſententiam quicqvam pro ea
dicere.

Die 20. Julii ſcriptum repe-
ritur, maritum ejus Janum
Nicolai, ante octiduum Regio
juſſu monitum eſſe, ut hoc
die compareret, reſponſurus ad
ea qvæ ſexdecim recuperato-
res contra ipſam eſſent propo-
ſituri. Die 27. Julii memora-
tur, eosdem recuperatores ab
eodem Jano Nicolai ad ju-
dicem provincialem eſſe cita-
tos. Eo non obſtante, die 3.
Augu-

Augusti iidem recuperatores memorantur consummasse suam sententiam, & *tacto codice sacro dixisse, uti optarent Deum & sanctum ipsius verbum ipsis bono & saluti fore, ita ipsos in hac causa nihil aliud potuisse reperire, quam Johannam Thomæam causam esse cur tam malè tractatus sit Johannis Mercatoris puer, qui obsessus dicitur, neque ipsos posse aliud videre & animadvertere, quam eandem reverà magiæ Diabolicæ esse ream.*

Die 24. Augusti memoratur repræsentata esse in judicio Curiæ, tanqvam eodem die supplicium male factorum luitura. Tum & illam & tunc & antea confessam esse id, propter qvod accu-

accuſabatur: item ipſam prodidiſſe Valpurgin Vietoriam, Mariam de Rinsberg, Medeam Banghorſiam & puellam qvandam Chriſtinam, qvæ ipſi ancillata fuerat, dixiſſeqve eas non minus ſed potius magis magiæ Diabolicæ reas eſſe qvam ipſa erat: & in ea confeſſione & teſtimonio emori ſe velle. Tum & memoratur Matthiam Jani, nomine Johannis Mercatoris eodem die poſtulaſſe Curiæ ſententiam contra ipſam ferri: idque eſſe ſic quoque factum, damnatamqve eſſe, juxta leges, mortis in pyra rogoqve lufferendæ.

Eo-

Eodem die 24. Augusti actio incepit contra Medeam Banghorsiam; de qva actione ita legitur in Actis. *Matthias Jani, nomine Johannis Mercatoris, accusat Medeam Banghorsiam; quod una cum Bodilda Petri in Eghôy, Johanna Thomæa & aliis, junxerit operam in evocando cacodæmone, eumque in ædes Johannis Mercatoris inducendo; atque sic causa fuerit malæ ejus tractationis, quam patitur puer ille in ædibus Johannis Mercatoris, qui obsessus fertur, siquidem nunc duæ in eo testimonio sint emortuæ. Postulavit quoque cautionem pro ea ne aufugeret &c.* Die 11. Septembris Johanna Thomæa memoratur jam

sup-

ſupplicium eſſe paſſa; item Chriſtinam illam ſive Chriſtinam Laurentii, quæ ipſi ancillata fuerat, & ab ipſa prodita erat, eodem die eſſe in judicio repræſentatam, ut pro ſuo facto, qvod jam erat confeſſa, ſupplicium lueret: id inter alia hoc erat, qvod inaudito ſcelere, in templo Coagienſi fontem baptiſterii polluerit; excrementa ſua egerendo in illum: atqve id hoc die quoqve fatebatur ipſa, addens ſibi adjutricem in eo fuiſſe Annam dictam Schæl-Anikke, quæ ſcamnum exſedilibus arreptum, ſuis hoc facturæ pedibus ſuppo-

ſuerit. Sententia in eam hæc lata fuit, ut in rogo combureretur.

De hinc teſtimonia contra Medeam Banghorſiam ſunt producta. Inter quæ quoqve quod antea etiam memoravi, eandem Chriſtinam coram judicio eſſe confeſſam, ſe ex Johannæ Thomææ ore audiviſſe, tam Medeam Banghorſiam qvam cæteras, quas indicaverat, conjunxiſſe *operam in cacodæmone evocando & in ædes Johannis Mercatoris inducendo.* Die 21. Septempris contra eam hoc fertur teſtimonium, quod cum à Catharina Marci filia rogaretur, an qvid

de

de rebus Johannæ Thomææ audiſſet, & an cacodæmonem in ædes Johannis Mercatoris immiſiſſet, excuſaret Johannam Thomæam dicendo: Johannam in ea re extra culpam eſſe. Nihiloſecius cum Catharina rurſus quæreret; quinam ergo rei ejus facti eſſent, reſponderit: quosdam mortuos eſſe, quosdam adhuc vivere. Coram judicio quoqve die eodem memoratur dixiſſe; Johannam Thomæam æqvè innocentem fuiſſe, atqve ipſamet erat. Die 5 Octobris hoc contra eam fertur teſtimonium, ejusdem anni die 22. Septembris, *quatuor*

matronas fuisse in domo Johannis mercatoris, ibique vidisse puerum illum, qui dicebatur obsessus, exiliisse de lecto in mensam & de mensa in lacunar domus, ibique se ad lacunar per pedes instar felis suspendisse: item malignum spiritum ex ore pueri dixisse: tibicinem *se vocari, & Medeam* sine ædibus: *tum & Dominam suam dici Medeam Banghorsiam: & alia plura & fœda addidisse verba quæ memoratu non sunt digna.*

Die 26. Octobris memoratur eadem Medea antea in Curia superiore coram Consulibus & Senatoribus varia esse confessa; eaq; confessio, ut erat descripta in-

inferiore in curia (Tinget Dani appellant) dicitur eodem die esse recitata. Medeamqve tunc præsentem nova rursus affirmatione eandem asseverasse: item dixisse: *sibi ex animo dolere, quod se cacodæmoni dediderit devoveritque.* Eodem die sexdecim recuperatores constituti sunt, qvi inquirerent, an rea ejus esset, cujus accusabatur. Iidemqve recuperatores ibi quoqve suis nominibus memorantur. Die 9. Novembris coram judicio est confessa, *Valpurgin Vietoriam participem fuisse ejus negotii, quo cacodæmon in ædes Johannis mercatoris est inductus, & simul causam fu-*

isse ejus mali, quo puer in ædibus Johannis mercatoris affligitur, neque meliorem esse quam ipsa sit: non tamen adjuvisse in evocando Satanam, sed duntaxat in invehemendo ipsum in ædes Johannis mercatoris: dixit quoque suum Apostolum (sic vocabat suum cacodæmonem) *appellari Smukker*, id est, pulchrum: *tandem semet unà cum Johanna Thomæa & Valpurgi invexisse hoc malum in ædes Johannis mercatoris.*

Die 30. Novembris recuperatores sententiam contra Medeam Banghorsiam absolverunt: de qvo hæc Actorum verba; eosdem *tacto codice sacro, uno ore jurasse judicasseque, prædictam Mede-*

Medeam Banghorſiam ream eſſe mali quod patitur puer Johannis mercatoris: itidem ream eſſe magiæ Diabolicæ, ejusque meritas perpeti debere pœnas. Die 7. Septembris eadem recuperatorum ſententia à judice provinciali dicitur confirmata, Medeamque eodem die mortis & ad rogum eſſe condemnatam.

His ita geſtis Johannes Barſcherus ceſſavit actiones inſtituere adverſus ſagas. Ideo die 13. Novembris Matthias Johannis, qvi advocatus erat Johannis Barſcheri, dicitur nomine Johannis mercatoris ſive Barſcheri abdicaſſe ſe hoc accuſa-

tionum negotio, dixisseqve, nihil sibi amplius cum illo fore.

Reliqvas sagas hujus negotii sive participes sive suspectas, magistratus urbis Coagiensis accusari & damnari curavit. In quarum rebus licet rarò quicqvam occurrat, qvod propiùs feriat Johannem Barscherum, tamen affinitatis causa potiora qvæ in Actis adhuc reliqvis (videntur enim qvædam & fortassis potiora periisse) occurrerunt, recitabimus quoqve.

Primæ inter reliquas sagas quæ sunt accusatæ, erant prædicta Valpurgis nec non Anna Christophori filia. Et anno 1613. die

die 22. Februarii nec non 22. Martii, recuperatores conſtituebantur, qvi de illis ſententiam ferrent. Eodem die 22. Martii nec non 29. ejusdem menſis, juxta ac 10. Maji teſtimonia adverſus Valpurgin ſunt producta; inter qvæ fuere etiam hæcce qvæ ſequuntur: Johannes figulus teſtatus eſt, Valpurgin aliqvando venientem in ſuam domum, ter genua flexiſſe coram ipſius uxore, & petiiſſe, ut liceret ſibi luſitare cum ipſorum puello. Hujus repulſam cum tuliſſet, denuò poſtulaſſe, ut liceret ſibi ollas qvasdam fictiles videre, & cum in

hoc quoqve repulſam tuliſſet, ira ſuccenſam abiiſſe. Et mox ingentem copiam ollarum in furno figlino poſitarum ut igne ſolitarentur, ſuâ ſponte fuiſſe diruptas & perditas, etiamſi nemo mortalium eas attingeret. Tum & queſtus eſt, uxorem ſuam poſtea diu fuiſſe ægrotam infirmamqve, ejusqve cauſam omnino dixit fuiſſe Valpurgin.

Petrus Scriniarius & alii teſtati ſunt, aurificis ſocium ſive cooperatorem (vulgo Geſell vocant) qvi nocte qvadam hoſpitio uſus erat Valpurgis, fuiſſe conqueſtum, noctem eandem, ma-

malam miſeramqve ſibi fuiſſe noctem: & Valpurgin ejusqve ancillam tuliſſe ipſum in aëre ſupra cacumina arborum in cœmiterium Veteris Coagii, ibique ceſpitem eruiſſe, ut ipſum ibi terræ infoderent: tum, & quibusdam audientibus, dixiſſe Valpurgi & ejus ancillæ: heu, heu! quomodo me miſerum hac nocte tractaveritis, peſſimam mihi noctem feciſtis. Utraqve eſtis æqvè malæ, & ante decennium oportuit vos in rogo eſſe combuſtas. Tum & eundem nocte eâdem nudis cruribus & ſola indutum interula ex ædibus Valpurgis fugi-

entem veniſſe ad domum Petri Scriniarii, & per Deum omniaqve ſancta obſecraſſe ejusdem Petri familiares, ut ipſum intra ſuam admitterent domum; addidiſſeqve, niſi hoc fiat, vitam mihi eripiunt.

Eraſmus Coracinus & Laurentius Vietor elatis, juxta leges, digitis teſtati ſunt, ipſos vidiſſe in ædibus Petri doliarii quod ſequitur: nempe, dum colloquebantur inter ſe, Petrum doliarium in ingens labrum, cui quatuordecim circiter tonnæ inerant aqvæ, eſſe conjectum, nemine viſo, qvi eum attingeret, nedum in labrum

infer-

inferret conjiceretqve: tum & in magno periculo fuiſſe & niſi ipſum ſtatim prehendentes de labro extraxiſſent, ſuffocatum in eo fuiſſe. Præterea chirurgum Johannem filiumqve ejus de uxore ejusdem doliarii teſtatos eſſe; cum venirent vulnus quoddam ipſius obligaturi, ipſam eis vivum qvid in femore ſuo oſtendiſſe, qvod ſurſum deorſumqve inſtar porcelli decurrebat: & cum Johannes chirurgus affectum quendam morboſum id eſſe ſuſpicatus, cutem illic ſecando aperire vellet, vivum illud quicqvid erat, eo relicto loco contuliſſe ſe ad mu-

lieris caput; sic ut illud propterea huc illuc agitaretur, quædamqve mulieres, quæ aderant, vi caput illius tenere sint coactæ. Item cum alio tempore ad eam veniret, ipsam semet consputasse, & rejectis omnibus unguentis, inusitatô qvodam modô emplastrum de loco malè affecto abripuisse.

Porro Thomas Biornonis & Matthias Jani elatis digitis sunt testati, ipsos quondam in domo Petri doliarii existentes in uxore ipsius tum admodum inusitatos gestus observasse, tum ex ore ipsius multa mira audivisse verba. Et cum malignus spiritus,

ritus, à qvo obsideri dicebatur, rogabatur, *quis nam esset*, per os mulieris esse responsum : *Ego sum Lucifer : Domina mea Valpurgis in hanc hominem me immisit, ut cruciarem illam.* Item, *Valpurgin & anima & corpore suam esse in æternum.* Et id ipsum plures quoq; testati dicuntur: in iisqve etiam Gregorius aurifex: qvi hoc addidit, malignum quoqve spiritum dixisse: *Valpurgin se ipsi devovisse, ut argenti & pecuniarum satis haberet.*

Die 29. Martii Anna Christophori in judicio repræsentata, ipsamet confessa est, se ream esse, cujus accusabatur: dixit quoqve ejusdem culpæ re-

as esse Elisam Holtugam, Birgittam Tornatricem, Catharinam Erici, nec non Christinam textricem. Aderat quoqve ipsa Catharina textrix, & tandem ipsa se prodidit, rogans pro se haberi preces, ut ad pœnitentiam perducta verum posset fatari. Eodem die de Anna Christophori sedecim recuperatores hanc tulere sententiam, *Ream esse magiæ Diabolicæ & junxisse operam in evocando illo cacodæmone; qui in ædes Johannis Mercatoris est inductus, ejusque meritum pati debere supplicium.*

Die 14. Junii eadem Anna coram judicio prodidit Mariam Licto-

Lictoris, ut ejusdem sceleris ream; eodemqve die mortis & ad rogum condemnata est.

Die 10. Maji, 7. & 14. Junii Valpurgis memoratur aufugisse: & nihilominus sexdecim recuperatores eam magiæ diabolicæ ream pronunciarunt. Die eodem 14. Junii, Catharina Erici in judicio, prece solicitavit prætorem urbanum, ut vivere permitteretur, promittebatqve se libenter in exilium abituram & ad aliam regionem. Die 5. Julii Anna Christophori supplicium ostenditur esse passa. Tum & testimonia contra Mariam de Rinsberg sunt producta:

cta: inter qvæ hoc etiam; qvod ſolita fuerit indicare fures, variosqve incantaverit, tum & rogatam de cujusdam morbo reſpondiſſe, à ſagis non eſſe incantatum; nihilo tamen minus ex illo morbo non eſſe convaliturum, & mox poſt Paſcha eſſe moriturum; idqve etiam factum eſſe. Eodem die ſexdecim recuperatores conſtituti ſunt qvi de Catharina Erici ſententiam ferrent, iidemqve mox die 30. Auguſti hanc de ea tuliſſe dicuntur ſententiam, quod magiæ diabolicæ eſſe rea, & propterea meritum ſupplicium pati deberet.

Anno

Anno 1614. die 13. Martii actio magiæ diabolicæ inſtituta eſt adverſus Annam Olai: & inter teſtimonia hoc quoqve eſt productum: Chriſtinam Petri eſſe conqueſtam, cum bibiſſet aliqvando cereviſiam ab Anna Olai coctam, malè ei cœpiſſe eſſe hôc modô: ut qvid-dam tanqvam mus à ſura ſua ſiniſtra usq; ad ſiniſtrum humerum curreret, idqve duraſſe per duas hebdomatas: & hujus cauſam conjeciſſe ipſam in Annam Olai. Item Annam Nicolai Ibæi teſtatam eſſe, qvod poſtqvam Anna Olai quondam

dam ei malum & infortunium comminata esset, correpta sit morbo & vehementi & inusitato, in qvo qviddam vivum, modò tanquam angvis, modò tanqvam mus ipsius umbilicum, humeros & cervicem percurrebat. Die 26. Junii Anna Olai memoratur suum supplicium esse perpessa. Eodem die constituti sexdecim recuperatores, qvi judicarent, an Elisa Holtuga (ita habent Acta) *reperiri possit rea ejus negotii damoniaci, quod in tecto Laurentii Krogii suspensum, posset esse causa sive infortunii, in quod inciderat idem*

Lau-

Laurentius, ſive diuturni morbi, quo ſervus ejus Georgius afflictatus erat.

Itidem conſtituti ſexdecim recuperatores, judicaduri an Birgitta illa Torneatrix, qvam antea diximus ab Anna Chriſtophori detectam proditamqve, rea ſit ejus quod acculatur, ſcilicet, priorem ſuum maritum incantaſſe, & alia ſimilia ſcelerata feciſſe. Die 17. & 24 Julii teſtimonia contra Eliſam Holtugam & eandem Birgittam ſunt producta: inter quæ etiam Mariæ Cæmentariæ confeſſio ſcripta, & in qva confeſſione eadem Maria eſt emortua.

Item

Item hæcce: Helena Henrici Capſarii uxor teſtata eſt, & coram DEO hominibusqve graviter conqveſta, Birgittam hancce, poſtqvam aliqvando in rixa ſecum habita graves minas adverſus ſemet protuliſſet, cacodæmonem evocatum in ſuas immiſiſſe ædes; ut deinceps nulla qviete aut die aut nocte illic frui liceret, coactaqve ideo ipſa cum ſuo marito ſit ædes vendere & alienare: tum & maritum ſuum morbo poſtea affectum ita arſiſſe, tanqvam prunis torreretur, & hoc modo per octo annos eſſe cruciа-

ciatum, cumqve animam ageret, ejus insimulasse hanc Birgittam.

Theodorus Capsarius de eodem Henrico Capsario similia testatus, addidit, tantum ejus fuisse ardorem æstumqve; ut cum frigidum butyrum ejus pectori imponeretur, ita ferveret, tanqvam igni culinari esset impositum. Petrus Petri testatus est; postqvam eadem Birgitta die qvodam Dominico à se cerevisiam unico emisset asse, postridie mane, cum ingrederetur coquinam cerevisiariam, mox ut aperta erat ja-

janua, occurriſſe ſibi aliqvid à labro cereviſia pleno veniens, quod erat inſtar leporis, & cujus oculi tanqvam prnna arderent; ab eoque tempore nunquam ſibi ſucceſſiſſe cocturam cereviſiæ, ejusqve ream omnino inſimulabat Birgittam. Die 21. Auguſti ambæ à ſexdecimviris reæ pronunciatæ ſunt Diabolicæ magiæ: & die 18. Septembris Birgitta mortis in rogo & pyra ſufferendæ eſt condemnata.

Die 19. Octobris memoratur Medea Nanneſia ab eadem Birgitta eſſe detecta: tum & re-

recuperatores conſtituti memorantur, qvi de eadem Medea ſententiam ferant. Die 6. Novembris teſtimonia contra eandem Medeam ſunt producta. Ipſa quoqve confeſſa eſt, ſe per tria Verba hebetare poſſe vim ignis: idqve ſe poſſe facere, quod die Dominico nata eſſet, neqve hoc magiam eſſe Diabolicam. Die 20. Novembris recuperatores ſententiam contra illam tulere, in eaque ſententia magiæ Diabolicæ pronunciarunt ream: tum & inter teſtimonia contra ipſam lata hoc quo-

qve memorarunt fuiſſe, qvod ſuummet incantaverit maritum, idqve tres maleficas, jam extremum ſupplicium perpeſſas de ea eſſe teſtatas, in eoqve teſtimonio eſſe emortuas: qvod etiam a multis annis magiæ Diabolicæ flagraverit infamiâ, & alia conſimilia.

TANTUM.

Au-

Auctarium.

Aliam exhibens Energumeni historiolam, descriptam ab Excellentiss. Nobilissimo THOMÆ BARTHOLINO in Epistola, Anno 1660 ad JOH. HEUNIUM exarata:

PErgis puerum XIV. annorum ante biennium totius corporis lassitudo dolorosa corripuit, cum ulceribus, qvæ una cum pure modo ossicula, modo piscium spinas emisere. Sex forsan elapsæ sunt septimanæ, ex quibus in sin-

gultum incidit valdè horrendum, qvo ungves, qvos pili omni ferè ex parte instar funiculorum partim circumvolvebant, partim inter se connectebant, aciculas incurvatas sibi invicem catenatim insertas, globulos ferreos & stanneos, tandemqve ligni frustum longitudine dimidium pollicem æqvans cum sequentium literarum levi inciscione S.M.P.D. rejecit summo spectantium stupore & admiratione. In paroxysmi principio dolorem qvendam in digitis sursum, paulatim crus petentem, cutem-

temqve inſtar muris erroneo motu mox attollentem, moxqve deprimentem percepit; quem mox (ſi tamen ita appellare liceat) digitorum motus convulſivus eſt ſubſecutus, organotriben, vario digitorum flexu muſicum qvoddam melos ludentem, perfectiſſimè æmulans. Venter interea & pectus fluctuum more undoſo motu mirâ virâ viciſſitudine modo elevabantur, modò ſubſidebant cum cervicis reflexione admodum tortuoſa. Hæc tandem enumerata ſymptomata finiit ſingultus, jam

nominata artificialia ventriculo exturbans, eâ lingvâ dentibus (qvos arctiſſimè claudebat, neqve unqvam, niſi digitum ori admoventis, eaqve qvæ intra dentes latitabant, eximere volentis admorſurus, movebat) agitatione varia allidendo ingratum movit ſtrepitum. Cuncta autem qvæ ventriculo ita egurgitavit, bis iterum deglutiit, repetente interim prædictum ordinem totâ ſymptomatum ſerie, qvæ, tertio tandem convulſivo ventriculi motu finito, ægrum torqvere deſie-

ſierunt. Difficillimum tamen fuit aciculas, ungves &c. qvos lingvæ extremitas ore ſubinde exſerta continebat, excutere, cum quamcunqve aſtantium ſummam etiam manuum agilitatem ſubitaneâ lingvæ retractatione eluſerit, dentibusqve petierit, ut etiam vix nec ſine periculo digitum morſui ſubtrahere potuerint. Et hoc omne oculis peregit exactè clauſis. Aciculis reliquisqve tandem decuſſis inſtar rabidi canis quodqve qvod obvium, dentibus invaſit, ſicqve aliqvot horas viribus admo-

dum fractus ſummâ cum imbecillitate jacuit. Viribus tandem aliqvomodo collectis totam diem & noctem quietus, ſanoqve non multum diſſimilis tranſegit. Venefica, cui nomen Synnewee (qvod primâ ligno inciſâ literâ S. indigitare voluit pueri cognata) non ita pridem carceri eſt tradita, qvæ tamen ſibi ipſi ante inſtitutum à Magiſtratu examen linteamento quodam gulam fregit. Rogum tamen, qvem viva evaſit, ſenſit mortua, adſpectante id ipſum puero, qvi æger viri robuſti bra-

brachiis ad locum ſupplicio deſtinatum aſportabatur: qvo tempore æger ab omni incantatione Dei beneficio liber adhuc dum optimâ fruitur valetudine.

FINIS.

Ad

ENERGUMENOS COAGIENSES AUCTARIUM:

De iis, quæ a Balthaſare Beckero contra eorum hiſtoriam, in ipſius Mundo faſcinato libri quarti capite 28, ſunt diſputata: nempe cur hujus hiſtoriæ editor, ea *Beckeriana* refellere ſit aſpernatus.

QUi hiſtoriæ de Coagienſibus energumenis primus eſt editor atq; collector, Johannes Brunsmannus, Eccleſiaſtæ nunc fungens munere; ea quæ a Balthaſare Beckero, in ipſius Mundo faſcinato illam contra hiſtoriam deblaterata ſunt, legit quidem & cognovit: ſed magis contemtu quàm examine digna judicavit. Idq; primum ideo, quod in

illis Beckerus nihil adducat, quod alicujus ponderis sit atque momenti: quippe argumentationes tantum afferens frivolas, & in iis ductas baculo, ut aiunt ad angulum: velut a posse ad esse, & alias similes, quas ne pueri quidem in scholis admittunt. Item meris nixus suspicionibus atque conjecturis, sive iis quas Beckerus accidisse non probat, sed tantum suspicatur atq; divinat. Cujusmodi per conjecturas probandi ratio, si est admittenda: nihil non conjicere & suspicari licebit, provaroq; id venditare. Immo & verum sic erit, ipsum Beckerum esse simiam, aut aliam aliquam turpem intellectuque destitutam bestiam: si quidem, cùm juxta ipsum, conjecturas & suspiciones dominari hic fas sit, reperiri quoque possent, qui ipsum esse talem feram bestiam con-

jic

jicerent ſuſpicarenturq; videntes eum tam bruto modô, ſineq; judicio ſuas ſæpe formare concluſiones.

Deinde ideo quoq; nugas Beckeri de hoc negotio Brunsmannus reſponſo & examine judicavit indignas: quod Beckerus, ſuam hîc ornaturus cauſam, craſſa quoque & aperta mendacia eò inſervitura adducat. Idq; non modo generalibus aſſertionibus, ubi id ipſum facere, paſſim quaſi ludum ducit: ſed & in particularibus eorum negotiorum narrationibus, de quibus in ipſis quoq; hujusce hiſtoriæ agitur Actis. Ubi non rarò citat ea, tanquam in Actis iisdem relata, quæ in ipſis plane non habentur. Sic de Walpurgi, quæ ob incantatam Barſcheri domum, eſt inter cæteras accuſata, numero 17 dicit, ipſam eſſe confeſſam, quod vim ignis hebetare poſſet, eò

quod die dominico nata esset: cum Acta illud non de Walpurgi, sed de Medea Nanneſia denarrent, quæ non in negotio Johannis Barſcheri, ſed in aliis quibusdam, ut magiæ diabolicæ rea repræſentatur. Pari modô, cum Acta habent, Medeam Banghorſiam primum quidem dixiſſe, tum ſemet, tum Johannam Thomæam in Barſcheriano hocce negotio innocentes eſſe: poſtmodo autem coram judicio publicitus confeſſam eſſe contrarium; & de Johanna quoque Thomæa eodem coram judicio particulatim dixiſſe: ipſam unà cum Walpurgi in ædes Barſcheri invexiſſe malum, id eſt dæmonium: Beckerus ejo in mentiendo eſt impudentiæ, ut tanquam in Actis ſimpliciter narratum dicat jactetque, Medeam Banghorſiam declaraſſe prædictam Johannam Thomæam plane

inno-

innocentem: addatque, hoc testimonium, non minoris esse debere, quam testimonia reliquorum, qui contra ipsam fuerant testati: ac si non ipsa Medea satis quoque contra ipsam fuerat testata dicendo, quod caput rei erat, ipsam malum hocce in ædes Barscheri invexisse.

Immo & in potissimo quoque argumento, quô historiam horunce Coagiensium oppugnare vult energumenorum, quodq; ipse numero 16, totum hocce negotium, (intelligit totam hanc historiam) ante omnia pudefacere ait; suam causam aliter colorare non valuit, quam Acta adulterando & manifestè mentiendo: nempe memorando tanquam ex Actis desumtum, Johannis Barscheri in hac causa advocatum, quasi propter male fundatam sagatum harunce accusationem, detre-

ctasse amplius eo in negotio inservire Barschero. Id quod ipsa Acta neutiquam habent, sed duntaxat Barscherum, condemnatis ad mortem duabus potioribus sagis, quæ ejus incantaverant domum, cessasse plures actiones adversus sagas instituere, ideoque ipsius advocatum, non ut Beckerus fingit, Barscheri contra voluntatem; sed potius Barscheri nomine, id est jussu & auctoritate, abdicasse se hoc accusationum negotio: reliquas autem hujusce incantationis suspectas sagas, curâ magistratus accusatas esse damnatasque. Alibi quoque Beckerus, sæpe similiter corrumpit Acta, paribusq; mendacis & figmentis suam, speciosam & pulchram reddere conatur causam. Existimavit igitur Brunsmann9, cum tam audacter mentiente, frustra suscipi disputationem; siquidem cum

men-

mendacia ad fingenda ſemel perfricuerit frontem, exſpectandum non eſſe, ut veritas ulla habere apud ipſum poſſit locum: & vel evidentiſſime confutato falſique convicto, idem ad fingenda mendacia pateat perfugium.

Porrò eâ quoque de cauſâ, diſputatoriam in arenam, cum Beckero Brunſmannus, heic deſcendere eſt dedignatus: quod Beckerus ejus quoq; ſit impudentiæ, ut non modo humanas, easq; omnium pœne gentium & ſæculorum de cacodæmone & ſpectris, irrideat exſibiletq; hiſtorias: ſed etiam ſacras, divinas a ſpirituq; ſancto profectas, quaſi derideas proponat: & in iis ipſas quoque evangelicas ita blaſphemè tractet narrationes, ac ſi cereus quidam eſſent naſus, & quem pro arbitratu ſuo illuc detorquere liceret: aut

chartulæ quædam luſoriæ, quæque ſomniantis Beckeri libitu & arbitrio, hanc vel illam ſignificandi vim haberent ac poteſtatem: & non potius, quæ generalis, apud omnes gentes interpretandarum lex eſt hiſtoriarum, a proprietate verborum in illis quoque præter neceſſitatem non eſſet recedendum. Cenſuit Brunſmannus, cum homine ſacris in hiſtoriis, tam perdite & præfracte blaſphemo, pro humanis certare & diſputare velle hiſtoriis, fore tantum laterem lavare, operam perdere, & inutiliter verba profundere. Quamdiu enim ea in protervia, temeritate, & imprudentia hæret Beckerus, ut non vereatur ipſum Dei verbum tam contemtim & calumnioſe contorquere, ſpem eſſe nullam, ut humanis in hiſtoriis interpretandis judicandisque ad ſanam perduci un-

unquam queat mentem. Beckerum prius agnoscere recantareque debere, suas in historiam sacram divinamq; contumelias atq; blasphemias: sic facile deinceps cognituram, suas humanam contra historiam & particulatim contra hancce Coagiensem, conclusiunculas atque argutiolas, frivolas fuisse & inanes. Hoc tamen vix sperandum esse; cum tota, quam Beckerus instituit, scena arguat, ostendatque, ipsum a cacodæmone, cum quo manifeste colludit, occupatum ita esse, ut ejus a laqueis vix sit amplius evasurus elapsurusque.

Denique ideo quoque Brunsmannus, Beckeri hocce in negotio nugas & quisquilias, examine dignari haud voluit; quod prudentis atque consulti haud censuerit esse, quorumvis ad obrussam & examen vocare

care ſomnia criminationesque quo
etiam tempus multo melius col
care ſciens, illud in tam frivola & lu
tea materia haud exiſtimaverit ſe
perdendum. Tantum Beckero ſa
nius in hac cauſa apprecatur Judici
um, & ſi illud fruſtra eſt votum, di
vino ipſum tradit judicio. Hæc de
mente & propoſito Brunſmanni in
hac cauſa, notus quidam ejus famili
arisque: qui te quoq; benevole le
ctor valere tandem jubet atque
favere.

FINIS.

Errata typographica.

Pag. 17. lin. 9. lege, publicas preces. p. 20. l. 14. ut dixit puer. p. 21. l. 14. ut tumeſcerent tamque grandes evaderent, ut cognoſci &c. p. 24. l. 4. fit mentio. p. 32. l. 30. habiturum. p. 37. l. 6. res quædam. p. 41. l. 16. uſque, erat p. 84. l. 14. execrandi. p. 88. l. 14. ſuppoſititius. p. 94. l. 16. quendam. p. 97. l. 12. junxerat. p. 104. l. 2. judicu. p. 108. l. 6. Eodem die. p. 118. l. 5. invehendo. p. 122. l. 5. ſolidarentur. p. 128. l. 9. fateri. p. 139. l. 8. Bergis. p. 141. l. 12. *dele*; vira.